DE

EQUITIBUS ROMANIS

COMMENTATIO HISTORICA.

SCRIPSIT

K. NIEMEYER.
PHIL. DR.

GRYPHIAE 1851.
IN LIBRARIA C. A. KOCHIANA,
THEOD. KUNIKE.

PATRI OPTIMO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

De equitibus Romanis quum dissertationem scribere animum induxissem, perdifficile argumentum mihi sumpsisse probe me sciebam. Nam vix ullum ex antiquitatibus Romanis locum invenies, qui quod ad antiquissima tempora attinet, in quibus investigandis certis testimoniis destituti sumus, majoribus tenebris obscuratus sit, quod ad posteriora, quorum certior ad nos pervenit memoria, uberiorem disputandi materiem praebeat. Quod quum ita esse nequaquam ignorarem, tamen vel imparibus viribus opus aggrediendi animum fecit, partim quod, quantopere hujus rei accurata perpensio et explicatio ad cognoscendam rei publicae Romanae formam atque historiam prodesse posset, intelligebam, partim quod a multis et doctissimis viris, quorum cura in hac materia versata est, non solum viam patefactam sed etiam haud exiguos doctrinae diligentiaeque fructus relatos magnaque nostris studiis adjumenta parata esse videbam. Quin ejusmodi sunt, quae quum ab iis, qui totam antiquitatum Romanarum disciplinam aut majorem aliquam ejus partem complexi sunt,

tum ab iis, quorum in hoc ipso loco de equitibus Romanis tractando cura se tenuit, investigata, disputata, demonstrata sunt, ut id maxime verendum mihi videatur, ne, si iis assensero, absolutam rem frustra quod retractaverim, si ab iis discessero dubitandi libido opprobrio mihi detur. Nam neque in investigandis et perquirendis antiquitatis monumentis scriptorumque veterum testimoniis diligentia et cura, neque in iis componendis, interpretandis, perpendendis prudentia et acumen usque adhuc desiderabatur. Attamen nequaquam res ex omnibus partibus absoluta est; nam ea ipsa, quae auctores veteres de equitibus Romanis memoriae tradiderunt, ad antiquissima tempora quod attinet exigua sunt, inter se discrepantia, erroribus mixta, nonnulla haud dubie falsa, quod ad posteriora, plura quidem et certiora, sed haec quoque dispersa parumque continua neque dubitatione exempta. Neque raro, quae nostra scire plurimum interest, eorum aut fortunae iniquitate memoria intercidit, aut a rerum scriptoribus, quum ipsorum civibus notissima essent, mentio nulla facta est, ita ut ex paucis et obscuris indiciis, qualia haec fuerint, conjici debeat. Omnium autem qui recentiore aetate in hanc materiam operam impenderunt, neminem prius commemorandum esse censeo Niebuhrio. Nam qui eum antecedebant, criticae artis si non prorsus expertes, rudes tamen et in res historicas exercendae insuetos commemorare non attinet, qui autem eum secuti sunt, ita omnes ex eo pendent, ut

vel qui adversarii exstiterunt, eum primum libertatem et necessitatem quaerendi et dubitandi de rebus Romanorum antiquis ostendisse [1]) veramque unice viam inivisse confiteantur, plurimi tamen plerisque de rebus iisque summis velut de antiquissima rei publicae forma, de plebis origine et conditione, de patriciorum juribus verum eum vidisse consentiant, neque raro, quae ipse divinatione quadam et insito veri sensu ductus assecutus erat, argumentis certis comprobari posse demonstrent [2]).

Omnes autem, qui aliqua ex parte equitum Romanorum historiam et conditionem attigerunt, nominatim enumerare quum longum sit, ex iis, qui ampliorem materiam complexi, hunc quoque locum tractarent necesse erat, Beckerum solum commemorare satis habebo; qui in libro, quem de antiquitatibus Romanis scripsit, ubique veterum scriptorum testimoniis diligentissime collectis quum, quae aliorum opera de unaquaque re investigata erant, exposuït et in unum conjunxit, tum ipse multa magna cum doctrina novis argumentis allatis aut comprobavit aut correxit, idque praecipue egit, ut quae ubique explorata et certa quae dubia essent et controversa, facile perspiceretur simulque et quantum superiores profecissent, et quantum posteriorum

1) Verba Madwigii sunt in commentatione de jure et conditione coloniarum p. R. opusc. I. p. 210. Ejusdem prudens et luculentum de Niebuhrio judicium cfr. ibidem.

2) Cfr. Becker antiquitates Rom. partis II. praefat. p. XI.

studiis relictum esset, in unaquaque re eluceret.[3]) In eo autem capite, quo de equitibus Romanis disseruit, secutus est maxime Zumptium et Marquardtum[4]); quorum brevius alter, alter uberius, summa cum doctrina rerumque antiquarum peritia atque judicio et integro et subtili uterque, hoc argumentum tractavit. Amborum autem horum librorum considerate et acute censuram egit Peterus et ita quidem, ut et inter se illorum sententias compararet et, quae ab alterutro parum recte disputata esse viderentur, uberius retractaret, et corrigere studeret. Quorum virorum commentationibus addere quaedam constitui, non quo illorum doctrinam aemulari me posse confiderem, sed quod et superiora tempora consilio brevius attigisse et de nonnullis rebus, quae haud exigui momenti esse viderentur, quam maxime discrepare eos videbam, de quibusdam autem eorum nemini assentiendum esse putabam. Haec igitur uberius exponam, de ceteris illos secutus brevius et ita tantum disputabo, quoad, ut illa recte perspici possint, opus erit. Ultra reipublicae liberae interitum autem disputationem non producam, ne plura conando majorem viribus molem suscipiam.

---

3) Cfr. ipsius praef. l. l.

4) Marquardt Historiae equitum Romanorum libri IV. Berolin. 1840. Zumpt. Ueber die römischen Ritter und den Ritterstand in Rom. Abhandl. d. Berl. Acad. 1839. p. 65.

I. Equites quot et quales fuerint ante Servium.

Romulum trecentos equites scripsisse, inter omnes auctores constat. Plurimi et locupletissimi[5]), centenis e quaque tribu lectis tres centurias equitum factas iisdemque atque tribus ipsas nominibus appellatas esse addunt. Nomina igitur ipsa quum arctissime equitum centurias cum populi tribubus Ramnensium, Titiensium, Lucerum conjunctas fuisse demonstrent, neque trecentos equites neque tres equitum centurias Romae fuisse, antequam e tribus illis tribubus civitas constaret, manifestum est. Jam quum Titiensium tribum foedere demum cum Sabinis icto additam esse constet, errant haud dubie, qui ante hoc foedus statim post urbem conditam Romulum tres equitum centurias scripsisse tradunt, Livius autem caute consilioque post receptos in civitatem Sabinos id factum esse scripsit et quod addidit: „Lucerum nominis et originis causa incerta est," eo probe eum sensisse apparet, Luceres quoque oportuisse accedere, priusquam trecentorum equitum numerus compleri posset. Quando autem Luceres in civitatis societatem venerint, postea apparebit; id certo certius est, ante tres tribus conjunctas aut nullum equitatum Romae fuisse aut, si qui fuerit, tribus centuriis non constitisse.

---

5) Liv. I, 13; Dionys. II, 13; Joann. Lyd. de mag. I, 9; Plut. Rom. 13; Varro d. l. l. IV, 16.

Equites Romuli etiam Celeres appellatos esse Plinius, Servius, Paulus Diaconus testantur[6]). Nomen ducendum est a graeco nomine κέλης, aeolica forma κέληϛ (der Renner, d. Rennpferd), quocum vocabulo latinum adjectivum „celer“ conjungendum esse apparet[7]). Quum autem Celeres a ministerii celeritate dictos esse falso putaretur[8]), quippe quorum opera Romulus usus esset, ut quae usus exigeret, velocius facerent, inde totum illud de trecentis armatis commentum ortum esse videtur, quos Romulus quasi graeculus tyrannus ad corporis custodiam non in bello solum sed etiam in pace secum habuisse Celeresque appellavisse traditur, quam manum plurimi rerum scriptores ab equitibus distinguunt, Lydus[9]) e trecentis scutatis peditibus constitisse narrat. Solus Dionysius ita loquitur, ut ex ejus sententia Celeres eosdem atque tres equitum centurias fuisse appareat. At si quis ejusmodi corporis custodes Romulum habuisse persuadere sibi poterit, sibi habeat, id tenendum est aut equites fuisse aut Celeres non esse appellatos. Videtur autem Celerum nomen latius etiam patuisse. Dicit enim Paternus apud Lydum I, 9: Κελερίῳ τινὶ οὕτω καλουμένῳ τὴν τῶν ἱπποτῶν φροντίδα παρέδωκεν· ταύτῃ συνεκδοχικῶς ἅπας ὁ στρατὸς κελέριοι τότε προσηγορεύθησαν· et certe

6) ad Aeneid. XI. 603. P. D. Celeres, Plin. XXXIII, 2 Dionys. II, 13.

7) Serv. ad Aeneid. XI, 603.

8) Plut. Rom. 26.

9) de mag. I, 9.

fieri hoc potuit, quum et populi robur et exercitus vis in equitatu esset. Quod autem Marquardtus p. 2. contendit, patricios omnino non nisi equis meruisse, id quum ipse sententiae suae postea demum argumenta afferat, ubi ad Servii Tullii instituta ventum erit, refutare studebo. Hoc loco id tantum monebo, Varronis testimonium ab eo prorsus neglectum esse, qui IV, 16 trium millium inquit primo legio fiebat ac singulae tribus Tatiensium, Ramnium, Lucerum millia singula militum mittebant[10]). —

Numa Pompilius de equitum centuriis nihil mutavit, Tullum Hostilium autem decem equitum turmas ex Albanis legisse Livius I, 30 auctor est. Quos Albanos, ut statim dicam, quod sentio, Luceres esse arbitror. Verum quum haec Niebuhrii sententia[11]), quam ipse pluribus locis nec ubique plane sibi constans proposuit, ab omnibus fere impugnata sit, paulo uberius de hoc loco, de origine Lucerum dico, quo vexatiorem et obscuriorem nullum esse video, disputandum esse videtur. Et primum quidem veterum scriptorum testimonia perlustranda et ponderanda sunt. Variant autem mirum in modum neque pauci, qui de hac re aliquid memoriae tradiderunt, plures sententias proposuerunt, ut ne ipsos quidem satis certi quid compertum habuisse appareat.

Plurimi[12]) Lucerum nomen et originem ducunt

---

10) Cfr. Walter Römische Rechtsgesch. p. 20.

11) Röm. Gesch. I, p. 329. 334. 338. 388. 422.

12) Cic. d. republ. II, 8. Varro d. l. l. IV, 9. Paul. Diac. Lucomedi. Aurel. Victor. d viris illustr. 2.

a Lucumone; quis tamen fuerit Lucumo ambigitur. Ducem Lucerum eum appellat Paulus Diaconus, Romuli socium fuisse et in Sabino proelio occidisse, Cicero auctor est. Alii[13]) Luceres eos fuisse censent, qui in lucum asyli confugerint, eosque in civitatem receptos tertiam tribum effecisse scribunt. Festus[14]) denique Lucerenses a Lucero Ardeae rege appellatos esse tradit, qui auxilio fuerit Romulo adversus Tatium bellanti. Postremo non praetermittendus est Livius, plerisque, quos adhuc attuli auctoribus fide historica praestans, qui unus se nescire fatetur. Lucerum aït nominis et originis causa incerta est (I, 13.). Ea autem, quae de Lucerum origine narrantur conjungenda sunt cum iis, quae haud minus varia et ab aliis alia de Tuscorum quadam colonia Romam aliquando ducta memoriae produntur. Sunt autem haec fere. Varro de lingua latina IV, 8: In Suburanae, inquit, regionis parte princeps est Caelius mons, a Coelio Vibennio Tusco, duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Hi post Coelii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent deducti dicuntur in planum. Ab iis dictus vicus Tuscus et ideo ibi Vortumnum stare, quod is deus Etruriae. Simili modo Paulus Diaconus Coelius mons, ait, dictus est a Coele quodam ex Etruria, qui Romulo

13) Plut. Rom. 20. Pseudo Ascon. ad Cic. Verr. I, 5.
14) Lucerenses.

auxilium adversus Sabinos praebuit: eo quod in eo domicilium habuit.] In iis autem quae de Tusco vico tradit longe a Varrone recedit; dictus est, inquit, quod ibi habitaverunt Tusci, qui recedente ab obsidione Porsena remanserunt. Quocum in universum Livius II, 14 consentit, qui ab Aricinis victis Etruscis partem perexiguam narrat Romam inermes perfugisse ibique benigne exceptos partim curatis vulneribus domum dimissos esse, partim remansisse locumque ad habitandum accepisse, quem deinde Tuscum vicum appellaverint. Omnium autem perturbatissima Dionysii narratio est. Sunt enim haec fere quae tradit: libri secundi cap. 36. Sabini belli initio ducem quendam ex Etruria venisse, cui Caelio nomen fuerit ab eoque dictum esse montem Caelium[15]), quod ibi sedem ceperit, cap. 37 Lucumonem quendam et ipsum Etruscum auxilia satis valida Romulo duxisse eumque alteri exercitus parti in pugna cum Sabinis praefuisse, in secunda autem (cap. 43) cum iisdem pugna occidisse; cap. 50 denique a Romulo et Tatio duos colles urbi additos esse Quirinum et Caelium, et Romulum quidem Palatinum tenuisse et Caelium, Tatium autem Capitolinum et Quirinum. Lucumonis illius et Caelii nulla exinde fit mentio. De tusco vico autem V, 36 eadem fere atque Livius tradit. Propertius contra tuscum vicum a Lucumedio Tus-

15) Eundem Caelium III, 1 a Tullo Hostilio urbi additum esse scribit.

corum duce dictum esse refert „qui Sabina feri contudit arma Tati“ (IV, 2. 51). Tacitus denique annal. IV, 65 „Caelius, inquit, appellitatus est a Caele Vibenna, qui dux gentis Etruscae, quum auxilium ad bella ductavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco seu quis alius regum dedit. Nam scriptores in eo dissentiunt; cetera non ambigua sunt magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitavisse, unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum.“ Cum iis quae Tacitus refert egregie convenit locus in oratione Claudii imperatoris, [16]) ubi verba haec sunt: „Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia, si Tuscos, Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque ejus casus comes, postquam varia fortuna exactus, cum omnibus reliquiis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit et a duce suo Caelio ita appellitavit mutatoque nomine, nam tusce Mastarna ei nomen erat, ita appellatus est ut dixi et regnum summa cum rei publicae utilitate obtinuit.“

Jam si, quae de Tuscorum adventu et Lucerum origine a Lucumone aut Lucero ducenda traduntur, inter se comparaveris, id haud dubie apparebit, Lucumonem illum sive Lucerum sive Lucomedium non alium quendam esse atque Caelem sive Caelium Vibennam, sed omnes, quos attuli locos, ad unam eandemque rem esse referendos, ductam aliquando esse

16) Gruterus thesaur. inscr. p. 502.

Romam manum Tuscorum haud exiguam ibique consedisse. Quando autem Tusci Romam venerint, si quaerimus, Tarquinio Prisco regnante factum esse multis de causis longe verisimillimum videtur. Primum enim regem ipsum ex Etruria oriundum fuisse, inter omnes constat, deinde eo regnante auctum esse civium numerum eo apparet, quod novas tribus addere veteribus voluisse traditur. Accedit testimonium, quod ultimo loco posui, ex antiquo fonte repetitum, accedit quoque Taciti auctoritas, quem e pluribus sententiis hanc maxime probavisse apparet. Jam Romulo regnante autem Tuscos Romam venisse, nequaquam aeque verisimile est. Nam quod ad rerum scriptores attinet, Livius auxilii Tuscorum Romulo lati nullam mentionem facit, Dionysius autem sibi ipse repugnat, quum eundem Caelium montem, ubi Vivennam habitavisse dicit, Romulum tenuisse postea scribat. Varro deinde pro certo nihil refert, dicitur, inquit, Caelius Romulo auxilio venisse. Ceterorum autem testimonia parum fidei habent. Nam Ciceronis studia ab accurata ac laboriosa rerum antiquissimarum pervestigatione longe remota fuisse nemo negabit, multo autem leviorem etiam in rebus tam obscuris Propertii poetae et Pauli Diaconi, qui aliis locis alia tradat auctoritatem esse apparet. Quod ad eos denique attinet, qui e Porsenae exercitus reliquiis Tuscam coloniam ortam esse scribunt[17]), per se quidem quae de fugitiva manu Ro-

17) Cfr. Niebuhr, Röm. Gesch. I, p. 610.

mam delata referuntur, a verisimilitudine non abhorrent, sed num tunc primo Tusci Romae consederint, si, quae de Tarquinio Prisco traduntur, comparantur, jure dubitari posse videtur. Difficilius est de loco, ubinam sedem cepisse Tusci putandi sint, certi quid statuere. Alii enim in monte Caelio, alii in vico Tusco habitavisse eos tradunt. Verum de Caelio monte quum ambigatur, ut quem Dionysius Romulum tenuisse, Livius Albanis datum esse (I, 30. 33) scribat, Varro relinquere Tuscos postea coactos esse tradat: vicum Tuscum Tuscorum fuisse et nomen ipsum demonstrat et scriptores omnes, qui ejus mentionem faciunt, consentiunt. Quae quum ita sint longe verisimillimum esse apparet, Tarquinio Prisco regnante Tuscos Romam ductos in vico Tusco consedisse. Quod si verum est, hos Tuscos Luceres esse non posse apparet. Nam Tarquinius ubi regnum adeptus est, tres Ramnium, Titium, Lucerum tribus jam constitutae erant tamque sanctae habebantur, ut mutari vel augeri eas nefas esse videretur. Deinde qui in planitie habitarent, sive ex initio, sive postea eo deducti, eos minoris juris fuisse et nequaquam Ramnibus et Titiensibus ex aequo adjunctos esse potuisse apparet. Accedit, quod nemo eorum, qui Tuscorum mentionem faciunt, aut in curias tribusque veteres receptos eos aut novas ex iis scriptas esse tradit. Quid autem causae fuerit, ut Luceres eosdem atque Tuscos fuisse crederetur, mox apparebit. Nunc ad alteram sententiam „ex asylo Luceres ortos esse“ me convertam.

Cui sententiae, quam e recentioribus Huschkius defendit, id maxime opponi posse videtur, quod ex iis, qui nulla sacrorum stirpisque communione juncti undique confugissent, quomodo una gens vel tribus, tertia populi pars quae esset, fieri potuerit, prorsus non intelligitur. Licet multi undique venerint, licet venerint quidam aut opibus validi aut gente insignes, licet nonnulli inter patricios recepti optimum civitatis jus adepti sint, multitudinem tamen indigestam pro tertia parte celsis Ramnibus, religiosis Sabinis junctam esse verisimile non est. At si quis dixerit, fuisse re vera Luceres diu minoris juris, et multo post demum senatus participes factos esse, unde colligi aut possit aut debeat obscuriorem et humiliorem eorum originem fuisse: tamen in curiis fuerunt et equis merebant, si fides habenda auctoribus, inde ab initio, id quod neque in asyli advenas neque in Tuscorum illam in plano constitutam aut eo deductam coloniam quadrat.

Restat ut etymologicae rationis quid insit in iis, quae de Lucerum origine vulgo traduntur, quaeramus. Quamvis autem difficile sit de etymologia quaerere in nominibus tuscis, cujus linguae tam exigua monumenta supersunt, ut ne cui stirpi quidem annumeranda sit satis inter viros doctos constet: tamen qui nomen Lucerum a Lucumone ducendum esse putant aperte errare videntur. Nam licet ejusdem stirpis vocabula sint, tamen ita inter se cohaerere non possunt, ut Luceres, quasi adjectiva forma a Lucumo deducta, significet Lucumonis manum vel so-

cios vel posteros. Dicendum potius erat Lucumonii, cujus formae unum tantum exstat exemplum[18]) idque incertum; optimi enim codices exhibent Lucomedius. At si quis dixerit esse etiam alium nominis formam „Lucomedii“[19]), quae satis legitime a „Lucumo“ ducta esse videatur, primum monendum est, hujus formae duo tantum exstare exempla, alterum apud Propertium loco modo laudato, ubi (ut vera sit lectio) non populi sed hominis est nomen, quem idem IV, I, 31 Lucmonem vocat; alterum apud Paulum Diaconum perexiguae fidei scriptorem, ita ut Luceres genuinam esse nominis formam dubitari nequeat. Accedit denique, idque gravissimum videtur, quod Lucumo non nomen proprium sed nomen appellativum est et praefectum significat vel regem[20]). Quis autem populus unquam, quae tribus, a principis non nomine sed dignitate appellata est? Melius coire videntur Lucerenses cum Lucero; sed et formam Lucerenses ipsam deductam esse a breviori Luceres apparet, et regem Lucerum[21]) fictum esse, quo Lucerensium nomen explicaretur, quis est, quin videat? Quod denique ad eos attinet, qui a luco asyli dictos esse Luceres censent, ex etymologia non plus ce-

18) Propert. IV, 2, 49:
Et tu Roma meis tribuisti praemia Tuscis
(Unde hodie vicus nomina Tuscus habet)
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.

19) vel Lucomedi cfr. Becker II, 1 p. 30 not. 50.

20) Cfr. O. Mueller Kl. deutsche Schr. I, p. 167. Serv. ad Aeneid. II, 278. VIII, 475.

21) Lucretinum vocat Pseudo Ascon. ad Cic. Verr. I, 5.

teris adjumenti ad sententiam suam comprobandam petere posse videntur. Sicut enim a vicus dicitur vicini, a pagus pagani, a silva silvanus: ita a lucus dici poterant Lucini sive Lucani, sed nullo modo Luceres. Unde autem hoc nomen ducendum sit nescio et sciri posse vix credo. Verum eadem ignorantia in multis antiquissimae originis nominibus obtinet. Ipsius Romae nominis origo valde ambigua est. Unde „Ramnes" ducendum, unde „Tities" parum constat. Neque tamen negligendum est Varronis lucopletissimi auctoris testimonium, quod legitur d. ling. lat. IV, 9 his verbis: Tribus nominatae, ut aït Ennius, Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo: Luceres, ut ait Junius, a Lucumone. Sed omnia haec vocabula Tusca, ut Volnius (sive Volumnius), qui tragoedias Tuscas scripsit, dicebat. Cui testimonio quid opponi possit non video. Nam quod Göttlingius[22]) dicit, nullius momenti esse tragoedi vel histrionis auctoritatem, eo refutatur, quod Varro eum Junio Grachano et Ennio, haud contemnendis auctoribus adjungit vel potius opponit, et ita loquitur, ut ipsum ei fidem habuisse appareat. Ad Volnii igitur Varronis accedit auctoritas. Formas autem nominum Ramnes, Tities, Luceres latinas non esse sed alienam originem sapere, quis est, quin sentiat? Neque vero inde totum populum Romanum ex Etruscis constitisse colligendum esse arbitror; sed contra, sicut et Romuli populo et Tatii, alteri Latino alteri Sabino,

22) Röm. Staatsverf. p. 56.

Tusca tamen nomina data sunt, ita ne de Lucerum quidem origine ex nomine certi quidquam consequi contendo. Et fieri potuisse, ut unde regni insignia triumphique honor[23]), indidem tribuum quoque nomina peterentur, nemo negabit; utrum autem jam antiquissimis temporibus tribubus romanis haec nomina fuerint, an a Tarquinio Prisco demum et ipso Etrusco iis data sint[24]), dijudicare non audeo. Unde autem factum sit, ut Lucerum origo tusca esse traderetur, apparet. Ramnes et Tities enim Tuscos non esse veteres rerum scriptores sciebant, Lucerum autem originis causa incerta quum esset, e nomine tusco aliquid, speciem quandam veri quod haberet, conati conjicere, eorum originem cum Tusca colonia, quam aliquando Romam ductam esse constaret, commiscuerunt et quo verisimilior res fieret nomen cum tusco vocabulo Lucumo, quod nomen proprium esse falso crederent, perversa etymologia conjunxerunt.

His omnibus consideratis vulgares de Luceribus opiniones quam infirmis argumentis nitantur, satis jam apparere videtur. Et si praeter diserta scriptorum testimonia nulla nobis esset veri eruendi ratio, vereor, ne is prudentissime judicavisse ducendus esset, qui Livii auctoritatem secutus, certi quid statui posse omnino negaret. Attamen et indicia quaedam veri apud scriptores reperisse et ra-

23) Liv. I, 8.
24) Cfr. O. Müller Etrusker I. p. 380.

tiocinando plura consequi posse videmur. Primum enim, ubicunque trium tribuum fit mentio, Luceres tertio loco ponuntur[25]. Simili modo inter omnes scriptores constat, ad eos colles, quos Romani et Sabini tenerent, primum additum esse montem Caelium. Quae si tenemus, quin Luceres et tertii in civitatem recepti sint proximeque Ramnibus et Titiensibus adjuncti, et in Caelio habitaverint, ne dubitari quidem posse videtur. Qui autem pro tertia parte duobus populis bellicosis adjuncti sunt, eos et ipsos populum satis validum fuisse verisimile est. Quae omnia egregie quadrant in Albanos. Quamquam enim Livius et Dionysius[26] urbem Albanorum exstinctam esse tradunt, tamen uterque, non, quod pati victos hostes, pati magis etiam perfidos socios par erat, ut sub corona venumdarentur qui caedi superessent, Albanos passos esse tradit, sed in civitatis societatem receptos, in tribus curiasque adscitos eos esse, civium numerum duplicatum, ditioribus neque de agris neque de ceteris copiis quicquam detractum, pauperibus agros divisos, legiones et equites ex iis scriptos, principes in patres lectos, senatus participes factos, curiam ordini aucto novam exstructam, omnibus Caelium montem, tunc urbi additum, ubi habitarent, assignatum, et quo frequentius habitaretur, ipsum Tullum eam regiae sedem

25) Excepto, quantum equidem scio, uno loco qui legitur apud Varron. d. l. l. IV, 14 ubi, hic ordo est: Ramnes, Luceres, Tatienses.

26) I, 28. et D. III, 29. et III, 1. Aurel. Victor. 4.

cepisse. Quae omnia non peregrinorum receptionem sed stirpium conjunctionem tunc factam esse demonstrant. Et num, quod Niebuhrius[27]) opinatur, Alba a Latinis deleta cladis superstites in monte Caelio urbem condidisse, eamque aequo foedere a Tullo cum Roma conjunctam esse, recte se habeat nunc non quaeram; id apparet, Tullo regnante stirpem et hominum multitudine et opibus validam nobilibusque gentibus praeclaram in Romanae civitatis societatem adscitam esse, arcem suam in Caelio habuisse regisque ipsius favore haud mediocriter esse adjutam. Ex hoc autem populo tertiam partem et tribum populi Romani ortam esse, quis est, quin multo verisimilius ducat, quam aut ex perfugis asyli, undique qui confluxissent, sine nomine et gente, sine ulla denique inter se stirpis sacrorumque communione, aut e Tuscorum colonia, quae quando venerit et unde incertum est, ex inermibus et profugis Porsenae exercitus reliquiis constitisse, arcis et montis honore aut nunquam digna existimata aut postea privata esse a nonnullis traditur. Accedit quod Dionysio auctore (III, 1) Tullus ipse Medullia, colonia Albanorum, erat oriundus, gente igitur cum Albanis, quos recepit, conjunctus. Quasi tertiam populi partem autem Livius Albanos commemorat capite 33 his verbis: Circa Palatium, sedem veterem Romanorum, Sabini Capitolium et

27) I, p. 388.

arcem, Coelium montem Albani implerunt[28]). Quae quum ita sint Albanos Luceres esse jam pro certo affirmare non dubito. Nominis autem mutatio eum non offendet, qui eodem modo etiam Sabinos post foedus cum Romanis factum Tities appellatos esse vetere nomine deposito consideraverit.

Verum ut cum iis quoque, quae de subsecuti temporis rei Romanae mutationibus traduntur, optime coire sententiam meam appareat, ulterius etiam Lucerum fata, quoad certi aliquid statui posse videtur, prosequi mihi liceat. Tarquinium Priscum senatorum numerum auxisse inter omnes auctores constat[29]). Senatus autem Romuleus centum erat virorum[30]); foedere cum Sabinis icto centum adjecti sunt[31]). Solus Livius hoc factum esse non prodit, sed post Romuli mortem centum tantum patres commemorat[32]); attamen hoc verum esse quominus credam, et ceterorum consensus et id maxime prohibet, quod idem Livius regibus exactis ad trecentorum summam expletum esse senatum tradit[33]), quae summa quomodo effecta sit, nisi centum illis Sa-

28) Cfr. cap. 30: Sabini haud parum memores, et suarum virium partem Romae ab Tatio locatam et Romanam rem nuper etiam adjectione populi Albani auctam.

29) Liv. I, 35. Dionys. III, 67. Aurel. Vict. III. 6. Cic. d. republ. II, 20.

30) Liv. I, 8. Dionys. II, 12. Plut. Rom. 13. Zonar. VII, 3.

31) Dionys. II, 47. Plut. Rom. 20. Zonar. VII, 4.

32) I, 17.

33) II, 1.

binis additis, prorsus non intelligitur. Ad ducentos igitur senatores Tarquinius Priscus, si plurimis auctoribus fides habenda est, centum adjecit, si Ciceronem sequimur, numerum duplicavit. Verum Ciceronis error unde ortus sit, in aperto est. Nam quum Tarquinium Priscum patrum h. e. patriciorum numerum duplicavisse memoriae traditum esset, (de qua re postea nonnulla dicenda erunt), vetusta nominis notione neglecta, ad senatum pertinere, quae de patribus proderentur, Cicero opinatus est. Quinam autem fuerint illi centum, quos Tarquinius addidit, quaerendum est. Quum autem centum Ramnibus a Romulo in senatum lectis, foedere cum Sabinis facto centum Tities additos esse constet, quid magis consentaneum quam tertios accessisse centum Luceres existimare? Cui sententiae Beckerus[34]) duo maxime opponit, primum, permirum videri, tam longum demum post tempus Luceres senatus participes factos esse, deinde ex iis lectos esse senatores tradi, quos e plebe Tarquinius in patriciorum numerum adscripserit, non e Luceribus. Verum quod ad prius attinet, licet mirum sit tamen ante Tarquinium Luceres in senatum venisse, senatum ad trecentorum numerum completum esse, nullum indicium exstat, quo colligi possit. Quod ad alterum attinet, monendum est, Livium neque quae de duplicatis per Tarquinium centuriis Ramnium, Titium, Lucerum narrat cum patrum minorum

34) Röm. Alterth. II, p. 346.

gentium in senatum receptione conjungere, quasi alterum alterius fuerit causa, neque ipsas minores gentes a Tarquinio e plebe institutas esse referre. Eodemque modo Dionysius centum illos in senatum adscivisse Tarquinium εὐθὺς ἅμα τῷ παραλαβεῖν τὴν ἀρχὴν tradit, tres tribus novas constituendi consilium postea ποτὲ regem cepisse narrat. Quod autem loco priore dicit, centum viros in senatum Tarquinium legisse ex omnibus plebejis, in quibus aut bellicam virtutem aut rerum publicarum peritiam aliquam inesse viderit, hanc eum rei explicationem de suo adjecisse neque plus fidei habere arbitror, quam exempli causa mira illa, quae idem de Romuli senatu partim ab ipso rege, partim a tribubus, partim a curiis lecto memoriae prodidit. Cicero autem ipsam eam ob causam in errorem incidit, quod quae illi distinxerunt, commiscuit. Omnes autem difficultates prorsus tolluntur, si Luceres Albanos fuisse credimus; tunc enim primum non nimis diu, postquam in civitatem venerint, Luceres senatus participes factos esse apparet, deinde e plebe lectos esse centum illos senatores quod scripserunt auctores, mirum non est, quum Albanos plebis partem esse crederent. Jam paucis ut, quae de Lucerum origine disserui, complectar, haec fere effecta esse videntur: Tullo Hostilio regnante in civitatem recepti sunt Albani et nomine Lucerum tertia pars populi, tertia tribus, fiebant. Et quum aliquod per tempus minoris fuissent juris, optimum civitatis jus per Tarquinium Priscum nacti sunt, qui centum ex iis in patres le-

ctis, quos minorum gentium appellavit, senatum ad trecentorum numerum complevit.

Et haec quidem hactenus. Jam ad equites revertimur. Quod si ante Tullum Hostilium Luceres omnino Romae non erant, ante eum ne tres equitum centuriae quidem esse poterant, sed centum tantum Ramnes et centum Tities, quibus ipse centum Luceres addidit. Centum dico; nam quod Livius decem turmas ex Albanis lectas esse scribit, id unde ortum sit apparet. Quum enim idem duplicatum esse civium numerum crederet, equitatum quoque duplicatum esse existimaret necesse erat. Quin etiam ipsum numerum decem turmarum apud auctores scriptum invenisse eum, valde credibile esse mox elucebit.

Et quae ad meam sententiam de equitibus ex Albanis additis probandam afferri possunt, dicta sunt; jam pauca addenda videntur, ut, quae alii senserunt, refutentur. Qui enim ante Tullum Hostilium tres populi tribus fuisse statuerunt, de decem Albanorum turmis incerti sint et ambigant necesse est. Nam si Marquardtum[35]) secuti tribus antiquis equitum centuriis post receptos inter cives, hoc est in curias, Albanos centenos equites insertos esse existimamus, ita ut ducenti Ramnes, ducenti Tities, ducenti Luceres jam fuerint: permirum videtur, quod hi non posteriores Ramnes, Tities, Luceres appellati sunt et quod duplicatio postea a

35) Equites p. 3.

Tarquinio instituta, quae si Marquardti sententia vera esset, ad Tulli exemplum proxime accessisset, quasi nova aliqua res a Livio refertur. Sin in curias quidem Albanos non receptos equitum turmas autem nihilo secius ex iis lectas esse, extrinsecus quae priscis centuriis adderentur, arbitramur, quae Walteri sententia est[36]), primum numerus mille ducentorum equitum, qui duplicato per Tarquinium numero effectus esse traditur, explicari non potest; Tarquinius enim non nisi Ramnes, Tities, Luceres duplicavit; quibus si Albani non continebantur, ad eos etiam duplicatio pertinere non potuit; deinde offendit, quod ex hac sententia Tullus Hostilius plebejos homines ad equestrem militiam admisisse putandus est, quam patriciorum tunc temporis propriam fuisse et a Servio demum cum plebejis communicatam esse, vel eo consequitur, quod Livius, ubi de equitum centuriis a Servio institutis disserit, praeter tres Romuleas tribus Ramnium, Titium, Lucerum haud dubie patricias, e quibus sex suffragia Servium fecisse tradit, duodecim tantum ab ipso additas commemorat, Albanarum autem turmarum nullam mentionem facit. Huschkius[37]) hanc difficultatem tollere conatus est. Ita enim, inquit, cum priscis centuriis Ramnium, Titium, Lucerum equites trecenti ex Albanis municipibus a Tullo lecti, coaluerant ut, quum Tar-

36) Röm. Rechtsgesch. p. 28.
37) Verf. des Serv. p. 42.

quinius Albanos in curias reciperet, non ipsi tantum in centurias illas insererentur, sed jam prioribus adnumerarentur, sexcenti autem equites, hoc modo facti, rursus e gentibus Albanorum modo receptis duplicarentur. Quae ratio quam artificiosa et a veri similitudine quam longe remota sit, facile apparet. Quod denique Goettlingius[38]) opinatur, Albanis receptis factum esse, ut ex iis maximam partem legiones scriberentur, equitum duplex numerus patriciis tribubus imperaretur, id Livii diserto testimonio repugnat. Locus autem Valerii Maximi[39]) quem affert, si huc referendus esset, nullam ad Goettlingianam sententiam probandam vim haberet; Valerius enim paucis rem absolvens nihil dicit nisi „equestrem ordinem uberiorem reliquit;“ sed omnino non ad Tullum, sed ad Tarquinium pertinet; quod non vidisse Goettlingium, permirum est[40]). Quum igitur neque in tres antiquas tribus Albanos insertos esse probabile sit, neque, si non in curiis erant, equites ex iis lectos esse credi possit, nihil restat, nisi ut ante Tullum Hostilium duas tantum tribus fuisse, eo regnante tertiam Albanorum adjectam esse credamus. Itaque ea ipsa quae de equitatu tunc aucto traduntur, sententiam nostram, Albanos esse Luceres, confirmant.

---

38) Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 225.

39) III, 4, 2.

40) Magis etiam miror Beckerum l. l. p. 240 not. 492. in eundem errorem incidisse.

Ancus Marcius de equitum centuriis nihil mutavit, Politorienses, Tellenenses, Ficanenses, Medullienses, Romam victos traduxit, Aventinum et Janiculum urbi adjecit.

Venimus deinceps ad Tarquinium Priscum, quo regnante Tuscorum coloniam Romam fortasse a Servio Tullio ductam esse, jam supra verisimile esse dixi. Ex primoribus igitur quum Tuscorum ipso regnante, tum Latinorum, ab Anco qui Romam ducti erant, tres novas tribus scribere et tribus illis Ramnium, Titium, Lucerum addere animum induxit. Nam in equitum centuriis augendis regem subsistere voluisse, id quod Livius narrat, et per se verisimile non est et ceterorum testimoniis repugnat, qui omnes de tribubus augendis Tarquinium cogitavisse narrant[41]. Neque tamen perfecisse eum, quae vellet, notum est. Auguris pertinacia narratur ab incepto desistere coactus esse, sed ita tantum intercedenti illi cessisse, ut non novas tribus adderet, sed antiquas, ad Ramnes, Tities, Luceres priores posterioribus adjectis, numero augeret. Quo facto eundem in modum equitum centuriae duplicarentur necesse erat. Quod factum esse Livius (I, 36) his verbis narrat: „Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit, numero alterum tantum adjecit, ut mille et octingenti equites in tribus centuriis essent. Posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant,

---

41) Dyonisius III, 71. Flor. I, 5. Festus Navia. Zonar. VII, 8. Festus. Sex Vestae sacerdotes.

appellati sunt." Qui locus valde vexavit interpretes; nam numerum mille octingentorum qua ratione Livius efficere potuisset, nisi sibi ipse repugnasse putandus esset, prorsus non intelligi posse visum est. Si enim ad trecentos equites, qui ex Livii ratione Romulo regnante fuerunt, trecenti Albani additi sunt, altero tanto per Tarquinium adjecto, mille ducenti efficerentur oportebat. Numerus igitur mille et octingenti non nisi per errorem ortus esse potest; sed quaeritur utrum Livii, an librarii alicujus, utrum igitur mutandus an explicandus sit numerus. Explicat Marquardtus in hunc modum[42]): Plutarchus, inquit, (Rom. 20) et Lydus (de mag. I, 16) ita rationem instituunt, ut ad Romuli trecentos equites, foedere cum Sabinis facto, totidem Sabinos, Tullo regnante totidem Albanos additos esse referant, errore decepti, quem latissime apud veteres rerum scriptores patuisse apparet, statim post urbem conditam triginta curias, trecentos equites fuisse; quo fiebat, ut Sabinos jam Titiensibus contineri non viderent. Eandem rationem nostro loco Livius secutus, duplicato per Tarquinium numero summam mille octingentorum equitum effectam esse scripsit." — Verum hac ratione, qua Livius non erravisse, sed pugnantia scripsisse arguitur, rem explicari posse nego. Quammaxime enim sibi repugnaret, si Sabinos, quos Titium nomine unam equitum centuriam effecisse scribit capite 13, jam a Titiensibus distingueret trecen-

42) Equites p. 3 not. 7.

tosque equites dedisse sibi fingeret; et postquam eodem capite tres equitum centurias Ramnes, Tities, Luceres appellatas esse retulit Luceresque ipsos, quamquam unde orti sint nescire se confitetur, diserte commemoravit, ut ne fuisse quidem equites ex ejus sententia ante tres stirpes conjunctas manifeste appareat, jam ita rationem institueret, quasi statim ab initio trecentos equites Romulus habuisset. Itaque licet Plutarchus et Lydus in ejusmodi errorem inciderint, Livius aequo modo lapsus esse putandus non est. Quare Zumptio et Beckero[43]) assentior, qui emendatione locum sanandum et pro mille et octingenti mille et ducenti scribendum esse censent, ut Livii ratio sibi constet. Corruptelam autem loco inesse codices demonstrare videntur, qui omnes praeter Mediceum et Wormsiensem mille et trecenti exhibent.

Emendato autem Livii loco res facile ad veram rationem adducitur. Quantum enim equidem video, deceperunt Livium Albani et necessario quidem, quum ut Titiensibus Sabinos ita illos Luceribus contineri non videret. Quo factum est, ut decem turmas ex Albanis lectos esse scriberet; quem numerum ab iisdem auctoribus relatum invenit, e quibus Plutarchus et Lydus toti pendebant. Nam qui trecentos Sabinos additos esse putarent, iidem, pro tertia parte Albanos adjectos esse haud falso arbitrati, etiam ex iis totidem lectos esse equites scri-

43) Z. p. 75. B. l. l. p. 242.

pserunt. Vera autem unice ratio haec est: Ad centum Ramnes a Romulo scriptos foedere cum Sabinis facto centum accesserunt Tities, Tullo regnante sub nomine Lucerum centum Albani. Has equitum centurias Tarquinius Priscus, posterioribus Ramnibus, Titiensibus, Luceribus adjectis, numero duplicavit, ut summa fieret sexentorum equitum[44]).

Priusquam autem ad Servium Tullium nos convertamus, de Ciceronis loco nonnulla disserenda sunt, qui legitur de republ. II, 20, ubi verba haec sunt: „Equitatum (Tarquinius) ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est retentus; nec potuit Titiensium et Ramnensium et Lucerum mutare quum cuperet nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat. Atque etiam Corinthios video publicis equis adsignandis et alendis orborum et viduarum tributis fuisse quondam diligentes. Sed tamen prioribus equitum partibus secundis additis ∞ ac cc fecit equites; numerumque

44) Aliam viam ad numerum MCC explicandum Niebuhrius (I p. 399.) ingressus est; eo enim effectum esse hunc numerum quod ex foederis cum Latinis facti legibus par numerus Latinorum romani exercitus et peditibus et equitibus accessisset. Sed tota de foedere Latino quaestio paucis absolvi nequit et a meae commentationis consilio aliena est. — Posse quidem rem ita sese habere non nego, necessario tamen ex iis, quae de foedere cum Latinis Tarquinio regnante vel antea facto scriptores referunt, (Dionys. III, 37 — 40. 49 — 54. Liv. I, 38. Festus Septimontio) non consequitur. Id vero apparet, Romanos equites, ut Niebuhrii sententia vera sit, tunc non plus sexcentos fuisse.

duplicavit postquam bello subegit Aequorum magnam gentem.“ Qui locus ita conformatus est, ut in quoque fere totius periodi commate difficultas aliqua occurrat. Omnium tamen plurimum offensionis in verbis ultimis inest: „numerumque duplicavit“ et quae sequuntur; quibus verbis, ex Ciceronis quidem sententia bis Tarquinium equitum duplicavisse numerum, apparere, jam neminem esse puto, qui neget. Nam Niebuhrii et Creuzeri sententia, qui haec verba pro interpretamento addita esse censuerunt, ab Huschkio satis validis argumentis refutata est [45]). Quum autem ceteri omnes errorem quem dicunt Ciceronis aliquo modo explicare studeant, Huschkius solus (p. 43.), ejus auctoritatem ceterorum anteponendam esse ratus, vera eum retulisse condendit, locoque laudato pro locupletissimo testimonio uti ausus est, quo, quanta continuitate atque constantia romana respublica creverit, clarissime appareat. Rem enim ita sese habere. Postquam Luceres senatus participes facti et ex Albanis a Tullo Hostilio receptis posteriores Ramnes, Tities, Luceres scripti sint, in eorum locum alios succedere oportuisse. Sicut Luceribus plebem ab Anco receptam, ita Albanis successisse Tuscos a Servio Tullio Romam ductos, quorum ope Tarquinius Aequos devicerit. Hos igitur municipum loco sex veteribus civium partibus pro altera parte additos esse, et ita quidem, ut in tribus et curias nondiscriberentur, militiae et equestris et pedestris onus susciperent.

45) Verf. d. Serv. p. 45.

Hanc esse secundam, quam Cicero referat, equitum duplicationem. Cui conjecturae alteram subjungere rei ipsius natura Huschkium[46]) coegit hancce: Servium Tullium non duodecim sed sex centurias novas scripsisse; id quod apud Ciceronem legeremus, nisi prima verba capitis 22 intercidissent, sic fere restituenda: Et primo quidem aucto equitatu, ut Tarquinius fecerat, etiam de suo ordine (de plebe) scriptis sex novis centuriis omnino fecit equitum centurias „duodeviginti censu maximo.“ Tota autem Huschkiana sententia nullo argumento probabili nititur. Nam ut ea omittam, quae ex notione quadam de orta paullatimque aucta Romana civitate, quam cogitatione, a singularium rerum monumentorumque antiquorum perscrutatione prorsus revocata, sibi finxit, repetita sunt[47]): Tuscos quidem, de quibus quid censendum esse putem jam supra exposui, Tarquinio regnante Romam venisse non nego, equites autem ex iis lectos esse non solum nullo testimonio confirmatur, nisi quodammodo eo Ciceronis loco, in quo explicando versamur, sed etiam per se ineptum est credere, quum curiarum participes non fierent neque patricii essent. A Servio autem duodecim novas centurias scriptas esse Livius (I, 43)

46) l. l. p. 344.

47) In Caelio monte ex Huschkii sententia habitabant Luceres et Albani, quibus additis civium numerus duplicatus est, et Tusci, quorum tanta erat multitudo, ut ex iis statim mille ducenti equites, duodecim millia peditum scriberentur. Quantus quaeso erat Caelius mons?

diserte testatur, de quo loco infra uberius disputandum erit. Ad Ciceronis denique locum, capite 22 qui legitur, quod attinet, in eo restituendo nihil Huschkius demonstravit nisi in tanta lacuna quaecunque vel perversissima inserendi occasionem oblatam esse.

Alio modo Zumptius rem explicat[48]). Primum e verbis: „Equitatum ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est rententus" colligit, ex Ciceronis sententia a Tarquinio jam summum equitatus numerum completum, a Servio nihil novi institutum esse nisi in duodeviginti centurias distributionem et censum. In universum autem Ciceronem in tota ratione instituenda nihil secutum esse, nisi ut equitum summam, quantam posterioribus temporibus fuisse constaret, aliquo modo efficeret. Hanc summam autem fuisse trium millium sexcentorum (Servii tempore fuisse minorem); eandem enim Livium exhibere lectione vera „mille et ducenti" restituta. Mutandum igitur apud Ciceronem esse ∞ ACCC in ∞ DCCC, quod eo majore cum jure fieri possit, quod particula „ac" pro „et" inusitate posita multum suspicionis habeat. Qua ratione Cicero equites postea in duodeviginti centurias distributas esse existimaverit, non quidem apparere; nam si priores et secundae partes Ramnium, Titium, Lucerum mille et octingentos equites continuissent, ceteros mille et octingentos in duodecim centurias distribuendos fuisse, quo dimidio minores hae centuriae illis fie-

48) l. l. p. 66. 75. 78.

rent oportuisset. Neque tamen melius cumduo rum millium quadringentorum numero duodeviginti centurias coire. Rationem igitur Ciceronis haud dubie vitiosam esse, sed summam effici veram, modo pro ∞ ac cc ∞ DCCC ponatur.

Cum Zumptio in universum consentit Beckerus[49]). Id tamen recte contra eum monet, quae de equitum aucto paulatim numero tradita sint, eum rejicere necesse esse, qui minus tria millia sexcentos equites Servii aetate fuisse statuat. Verba deinde: „equitatum ad hunc morem constituit qui usque adhuc est retentus,“ ad equum publicum aesque equestre tantum pertinere opinatur, neque ex iis colligi debere, ex Ciceronis sententia Tarquinium summum equitum numerum complevisse. Verum quum idem id tantum Ciceronem secutum esse Zumptio concedat, ut aliquomodo summam trium millium sexcentorum equitum efficeret: id ita tantum ratum esse posse apparet, si Cicero de numero quidem a Servio nihil mutatum esse existimavisse conceditur. Contra Zumptium autem et Beckerum primum monendum esse videtur, numerum e conjectura tantum mutatum esse, deinde Ciceroni ex eorum sententia numerorum rationem inculcari vitiosam et quae cum duodeviginti centuriis, quas ipse capite 22 agnoscit, nullo modo coeat; Servium autem centurias quidem auxisse, numerum equitum pristinum retinuisse credibile non esse.

---

49) l. l. p. 243. seqq.

Verum utut sese haec habent, accuratius ubi, quae de equitum numero Cicero refert, consideraverimus, partim textus conditionem eam esse apparebit, ut certi quidquam ex eo colligi omnino vix possit, partim quae tradat, a ceterorum testimoniis tam longe recedere elucebit, ut fidem iis tribuere valde dubitari debeat. Primum enim is locus, quo de Albanis a Tullo additis Ciceroni dicendum erat, si quidem omnino de hac re compertum quid habebat, totus intercidit. Deinde in loco, de quo nunc disserimus, permulta offendunt. Verba prima, si integro judicio considerantur, nihil significare posse videntur nisi de equitatu post Tarquinium omnino nihil mutatum esse; quod iis, quae de Servio quum ab aliis tum a Cicerone ipso (cap. 22.) traduntur, repugnat. Sin ad verba: „atque etiam Corinthios" referuntur, offendit enuntiatum interpositum: „neque potuit." Deinde haec ipsa verba: „neque potuit mutare nomina" non consentiunt cum iis, quae de Tarquinii consilio a ceteris referuntur, qui omnes sive centurias sive tribus eum scribere suoque et amicorum nominibus insignes relinquere voluisse tradunt. De antiquis nominibus mutandis regem cogitavisse, nemo scribit nisi Aurelius Victor (III, 6), quem e Cicerone hausisse verisimile est[50]). Tum verbis: „atque etiam Corinthios" Cicero equi publici institutum, quod ad Servium ceteri referunt, Tarquinio tribuit, fortasse quia id a

50) Cfr. Huschke p. 46 not. 32.

Corinthiis sumptum esse, unde ortus esse Tarquinius traderetur, opinatus est. Verba: „sed tamen“ a verbis: „nec potuit“, ad quae haud dubie referenda sunt, mirum in modum dirempta sunt. In numeris offendit particula ac. Secundam denique equitum duplicationem praeter Ciceronem nemo testatur, neque quisquam bellum cum Aequis a Tarquinio gestum commemorat. Tertii autem loci (cap. 22), quo Cicero, quae a Servio instituta essent, narravit, non nisi ultima verba supersunt; quae id certe demonstrant novas centurias a Servio factas esse, in quas eundem equitum numerum, qui antea sex centuriis contentus esset, eum distribuisse, Ciceronem ratum esse a veri similitudine quammaxime abhorret. Tribus igitur omnino locis de equitum numero Cicero disseruit vel potius disseruisse potest, quorum primus totus, tertius maximam partem intercidit, alter mirum in modum turbatus esse videtur eaque continet, quae neque cum tertio loco nisi interpretatione violenta neque cum ceterorum testimoniis conciliari possint.

Quae quum ita sint aut ad hanc quaestionem de equitum numero dijudicandam e Cicerone certi quicquam peti posse omnino negandum est, aut locus, qui capite vicesimo legitur, emendatione est sanandus, atque ejusmodi quidem emendatione, quae in numero mutando non subsistat. Reputanti autem mihi, quae vera lectio fuisse possit, sic verba emendanda visa sunt: „Equitatum ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est retentus; atque etiam

Corinthios video publicis equis adsignandis et alendis orborum et viduarum tributis quondam fuisse diligentes. Nec potuit Titiensium et Ramnensium et Lucerum mutare quum cuperet nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat; sed tamen prioribus equitum partibus secundis additis numerum duplicavit, ac [51]) mille ducentos fecit equites, postquam bello subegit" etc. Atque in verbis transponendis audaciam textus misera excuset conditio. Loco autem ut feci constituto, orationis intolerabilis perturbatio tollitur, id quod praecipue meam emendationem commendet; quae meae quidem sententiae de equitum numero egregie subvenit. Nam fac Ciceronem secutum esse auctorem, qui aut de Albanorum turmis nihil compertum haberet, aut Albanos Luceribus contineri rectissime ratus, consilio distincte eos non commemoraret, quid verisimilius, quam Ciceronem, ut numerum mille ducentorum, quem a plurimis relatum inveniret, aliquo modo efficeret, bis duplicatum esse ab eodem Tarquinio numerum sibi finxisse?

---

51) Aptissime particula ac iterum numerum duplicatum esse significatur. Cfr. Hand. Tursellinus p. 477: „In narratione per „atque" conjungitur res ei, quae antea dicta est, aequalis vel aequiparanda." Qui vero aut justo audacius a me verba transposita esse, aut nimiam inconstantiam mea explicatione Ciceroni obtrudi arbitretur, is ceterorum certe et emendationes et explicationes non minus offensionis habere concedat, et Ciceronis auctoritate in hac re dijudicanda uti omnino desistat.

II. Quae Servius de equitibus instituerit.

Ex tribus equitum centuriis a Tarquinio numero duplicatis Servius Tullius sex fecit centurias, quas sex suffragia appellavit, duodecim novas centurias e plebejis scripsit[52]). Atque ii quidem, qui aut Festi loco nisi, aut verborum scribendi et faciendi interpretatione prava usi[53]), a Servio sex tantum centurias additas esse censuerunt, a Marquardto (p. 5) et Beckero (p. 247) satis validis argumentis refutati sunt, quae repetere supervacaneum est. Id tantum addam: Festus[54]), ut loco laudato adjectae vel adlectae scripserit, errat quidem haud dubie, sed unde ortus sit error perspici potest. Ipse enim dicit: „Centuria in re militari significat centum homines;" quod si Servium Tullium duodeviginti centurias, Tarquinium mille ducentos equites habuisse legit, inde sex tantum centurias a Servio additas esse suo quodammodo jure conjecit.

In duodeviginti autem centuriis a Servio institutis, distinguenda sunt sex suffragia a duodecim ceteris centuriis[55]). Primum enim in comitiis suf-

52) Liv. I, 36. I, 43; Cic. d. republ. II, 22.

53) Liv. I, 43.

54) Sex suffragia appellantur in equitum centuriis, quae sunt adfectae ei numero centuriarum, quas Priscus Tarquinius rex constituit.

55) Cfr. Marq. p. 5.

fragia separata habebant, deinde insignia equestria antiquitus ad sex suffragia tantum pertinuisse videntur, denique in iisdem nisi patricii esse non potuerunt. Nam quum Servius de tribus Tarquinii centuriis nihil mutaret, nisi quod e tribus ducentenorum sex centenorum equitum centurias fecit, eosdem homines in his mansisse, qui ante Servium in iis fuerant, et ex iisdem curiis completas esse eas, e quibus antea equites lecti erant, apparet. Sex suffragia igitur patriciorum equitum erant. Errat autem Niebuhrius[56]), qui omnes patricios ea complexa esse contendit. Neque enim solum suam sententiam certis argumentis probare non potuit, sed etiam, quae contraria exstant testimonia, velut Livii locum III, 24, ubi Tarquitius, patriciae gentis juvenis, propter paupertatem pedibus meruisse narratur, artificiosa interpretatione diluere coactus est; quod autem omnium summum est, non vidit, consilium quod Servium in describendis classibus secutum esse ipse concedit, ut postestatem et arma, quibus defenderetur, pro opum ratione tribueret, prorsus sublatum futurum fuisse, si omnes patricii, herediis publicique agri possessionibus haud dubie divitissimi, non plus sex suffragia habuissent. Nihilo secius ad hanc Niebuhrii sententiam revertit Marquardtus, quamquam censum ad sex suffragia

56) I, p. 480. Cfr. Peter Epochen der Verfassungsgeschichte der röm. Repblk. p. 2 ff. Zumpt p. 81. Huschcke p. 352.

quoque pertinuisse concedit. Dicit enim p. 2: „Ramnes, Tities, Luceres equo merebant, clientibus exercitus pedester efficiebatur;“ et p. 5: „Nomen centuriarum ad patricios equites decuriatos non pertinebat, quorum antiquae tribus aut communi sex suffragiorum aut suo quaeque Ramnensium, Titiensium, Lucerum nomine appellatae fuerunt;“ denique p. 7: „In sex suffragiis etiam seniores fuerunt, siquidem ea de causa, qua fieri non potuit, ut veteres illae patriciorum tribus nomen formamque centuriarum acciperent, etiam seniores ex his tribubus in centurias seniorum primae classis migrare non potuerunt.“ Quae si computantur, ad Niebuhrianam sententiam redeunt. Argumenta autem Marquardtus ipse nulla affert, sed ad Huschkium p. 349 nos rejicit. Huschkius autem de Festi loco quem supra attuli disserens: „loci, inquit, sententia obscura et incerta est, id tantum eo apparet, equitum certas quasdam partes non centurias, sed sex suffragia appellatas esse.“ Quaerit deinde, cur Tarquinius his antiquis equitum partibus solis nomen centuriarum non dederit, et causam affert[57]), quod centuriae nomen, pedestris exercitus proprium, eorum dignitati non adaptatum fuisset. Nomen „centuria“ enim non a Servio inventum, sed ex antiquis rei publicae institutis ab eo receptum, neque tamen ab equitatu petitum esse; equites enim non e tribubus, sed e curiis lectos,

57) Cfr. p. 108 seqq.

ideoque non in centurias, sed in decurias divisos fuisse. Dionysium quidem ἑκατοντάρχας Celeribus praefuisse (II, 13) scribere, sed commutare eum Celeres cum trecentis corporis custodibus, quos Romulus habuerit; et Livium parum accurate a Romulo tres equitum centurias institutas esse referre; Ciceronem autem nunquam Ramnium, Titium, Lucerum equites centurias appellare. Quum autem ex cujusque curiae clientibus centeni pedites scripti sint, ad hos proprie pertinere nomen centuriae, et ut in re militari centum pedites ita in agris ducenta jugera significare, quot data sint cuique clientum centuriae. Inde centuriae nomen Servium repetivisse, aptissimum non e gente, sed e censu descriptis. Neque mirum esse, quod sexaginta primae classis centuriis (quas patriciis tribuendas esse contendit) hoc nomen datum sit; nam plebejorum more pedibus merentibus nomen quoque, plebejorum antea proprium, dandum fuisse. In patricias autem primae classis centurias seniorum equites patricios emeritis stipendiis transmigravisse. Quae omnia quam miris ratiocinationibus [58]) philosophi magis quam historici more institutis Huschkius confirmare studeat, uberius non persequar. Quamquam autem nonnulla satis subtiliter ab eo disputata sunt, in universum tamen, quantopere in veterum scriptorum testimoniis non considerandis ac ponderandis, sed negligendis tota ar-

58) Cfr. imprimis p. 112.

gumentatio nitatur, ex iis, quae attuli satis apparet. Rejicitur Livii et Dionysii auctoritas; nimirum alter parum accurate scripsit, alter res diversas commutavit. Ciceronem autem, quem Huschkius cavisse dicit, ne nomine centuriarum antiquas equitum partes Ramnium, Titium, Lucerum appellaret, capite 22 sex suffragia centuriarum nomine complecti manifestum est; et Festus, quem pro teste affert, ut certas quasdam equitum partes non centurias sed sex suffragia, appellatas esse demonstret, eo ipso loco: „sex suffragia, inquit, in equitum centuriis appellatur" etc., unde apparet, centuriae notionem esse generalem, quae eas quoque centurias complectatur, quibus discriminis causa sex suffragiis nomen erat. Quibus locis, quamquam in re militari pedites in cohortes et centurias, equites in turmas et decurias divisos fuisse notum est, in populi descriptione nomen centuriae latius patuisse apparet; quod si ad pedites solum pertinebat, non duodecim plebejorum equitum, si ad plebejos tantum, non patriciorum peditum centuriis dari poterat, si ad omnes e censu discriptos, etiam sex suffragia complecti potuisse mox elucebit. Atque de sex suffragiis quidem satis disputatum esse videtur.

Duodecim ceteras equitum centurias scripsit Servius e primoribus plebis [59]). Omnes autem equi-

59) Cfr. Becker p. 246 not. 501. Dionys. IV, 18 Cic. d. repbl. II, 22.

tes ex iis lectos esse, qui maximum censum haberent, constat inter auctores[60]). Quod quomodo in duodecim plebejorum centuriis factum sit, facile apparet, non legebantur enim a Servio, nisi qui censum certum haberent. In sex suffragiis autem, ut quae non nova a Servio, instituerentur, sed forma paullum mutata eadem manerent, ita tantum census ratio habita esse potest, non ut qui censum non haberent, ejicerentur, sed ut, quoties census ageretur, ad ea complenda non, nisi cui census equester esset, legeretur. Lectio enim equitum, quam antiquitus curiarum fuisse Dionysius (II, 13.) tradit, inde a Servio regis facta est censum agentis, deinde consulum, postremo censorum. Ceterum quum saepissime eveniat, ut quod diu jam per usum fieri solitum sit, semper ut fiat lege sanciatur, tum in hac re usu venisse videtur. Etenim quum militia equestris haud exiguos sumptus requireret, jam antiquitus e divitissimis equites a curiis lectos esse verisimile est, ita ut Servius, quum rem publicam ordinaret, non censum aliquem ex arbitrio suo, sed eorum, qui tunc temporis equites essent, opibus adaptatum equitibus legendis praefinivisse putandus sit. Qui census quantus fuerit, a nemine traditur, maximum fuisse omnes consentiunt. Postera aetate quadruplo quam primae classis major erat.

Omnibus, qui in equitum centuriis erant aes

60) De Niebuhrii sententia, dignitatem equestrem hereditario jure ad posteros traditam esse (I, 482) cfr. Madwig opusc. I. p. 77. not. 2.

equestre, quo emerent, et aes hordearium, quo alerent equum, dabatur, alterum e publico erogatum, alterum orborum et viduarum tributis coactum[61]). Viduis autem et orbis hoc onus impositum esse mirum non est; quum enim ex civium censorum numero eximantur a Livio (III, 3 et epit. 59), inde tributi pendendi immunes eos fuisse colligi licet. Singulis equitibus singulas viduas vel plures attributas esse, a quibus pecuniam exigerent, id quod e Livii verbis (I, 43) colligi quis posse arbitretur, a verisimilitudine certe abhorret. Pependisse videntur orbi viduaeque pro opum ratione tribunis aerariis[62]); a quibus et propter aes equestre et propter aes hordearium pignus capere equitibus licebat[63]). — Aeris equestris nomine data esse equitibus decem millia assium, aeris hordearii nomine duo millia assium Livius (I, 43) tradit. Quas summas multo majores esse, quam pro jumentorum frumentique pretio, quantum tunc fuisse constat, credibile sit, neminem fugit[64]); praecipue quum, quod recte animadvertit Madwigius (opusc. I. p. 84), non consentaneum sit, nullum equites pro portione onus militiae sustinuisse una cum ceteris civibus, indeque colligi debeat, eam tantum vim habuisse pecuniam illam, ut id compensaret, quod plus quam pro portione census equiti necessario insumendum esset. Ad

61) Liv. I, 43. Cic. II, 20.

62) De tribunis aerariis infra uberius disputandum erit.

63) Cfr. Gajus IV § 27. Cato apud Gell. VII, 10.

64) Cfr. Boeckh. Metrol. Unters. p. 440. 436.

summas autem illas explicandas, quas alii alias proposuerunt rationes, enumerare et refutare longum est[65]. Unice veram viam Boeckhius ingressus est; qui (l. l. p. 427) omnes summas, quae a Servio institutae esse tradantur, non Serviani temporis esse, sed sexti urbis saeculi demonstrat, asse, qui initio libralis erat, ad sextam librae partem deminuto. Quo facto censuum summas, quoniam assis pretio imminuto et ipsas minutas esse nullo modo credi possit, pari ratione augendas fuisse; neque solum pari ratione h. e. sex partibus sed magis etiam, siquidem crescentibus civium opibus etiam censum classibus singulis ampliorem praefinitum esse colligi debeat. Contra aeris pretium paullatim crevisse, ita ut viginti millia pondo aeris, Servii aetate paulo plus septuaginta quatuor, sexto urbis saeculo paulo minus centum quadraginta tria pondo argenti fuerint. Ut vero summae efficiantur solidae et simplices, numeros a scriptoribus relatos non ad sextam partem, sed aut ad decimam aut ad quintam redigendos esse. Et ad decimam quidem partem si redigantur, minores effici, quam vel pro Servii temporis ratione verisimile sit, ad quintam autem redactas et ad Servianam aetatem adaptatas esse, et cum eo censu, quem Solonem, quum populum Atheniensium in classes describeret, instituisse constet, optime convenire. Posterioribus autem temporibus, hac ratione consti-

65) Cfr. Niebuhr I, 486. III, 406. Huschke p. 368. Peter Epochen p. 11.

tuta, quamvis ad sextam partem minutum sit assis pondus, tamen revera auctas esse summas e ratione numerorum 3:5. Magis autem, id quod qui crescentium divitiarum tantum rationem habeat, fortasse suspicetur, non auctas esse propter rei militaris rationem, ne nimis multi a gravi armatura primae classis excluderentur. Secundam hanc rationem igitur Servianis temporibus aes equestre duorum millium, aes hordearium quadringentorum assium erat. Neque tamen praetermittendus est locus Varronis de ling. lat. VII, 38, ubi haec leguntur: „Quaerunt, si sit analogia, cur dicatur mille denarium non mille denariorum? Est enim hoc vocabulum ea figura, ut Vatinius, Manlius, denarius; debet igitur dici ut Vatiniorum, Manliorum (sic), denariorum et non equum publicum mille assarium esse, sed mille assariorum; ab uno enim assario multi assarii; ab eo assariorum.“ Qui locus variis modis a viris doctis explicatus est. Huschkius, in universum cum Waltero consentiens[66]), annuis solutionibus aes equestre datum esse arbitratur, et, quum decemsti pendia equiti facienda fuerint, singulis stipendiis autem singuli equi tribuendi sint, recte dici mille assium equum publicum esse contendit. Verum et annuae illae solutiones nusquam commemorantur, et equum non plus unum stipendium toleravisse nullo modo credi potest. Boeckhius (l. l. p. 428), quem secutus est Marquardtus, verba ad aes hordearium referenda esse censet, cujus dimi-

66) H. p 368 W. Römische Rechtsgesch. p. 128.

dia pars equo alendo, altera autem servo destinata fuerit. Verum aeris hordearii neque vocabulum, neque notionem in Varronis verbis inesse, sed interpretatione ista in ea inferri apparet. Verba: equum publicum mille assarium esse, quantum equidem video, nihil significare possunt, nisi equum publicum idem valere atque mille assarios, rem esse, pretium habere mille assariorum. Id quod recte perspexit Zumptius (p. 72); qui e loco Varronis, quocum conjunxit alterum Charisii (Putsch. p. 58): „assarius ab antiquis dicebatur, nunc dicitur as", aes equestre antiquitus mille assium fuisse collegit, et aequa ratione omnes summas, quae a Servio in censu instituendo classibus praefinitae esse ferrentur, ad decimam partem redigendas esse contendit. Quod ita sese habere num e solo Varronis loco jure colligi possit, nunc quaerendum est. Nam aliud nullum argumentum satis validum, quo sententiam suam comprobaret, Zumptius attulit. Quod enim in veris Servianae aetatis summis quaerendis non solum assis pretii minuti, sed etiam auctarum civitatis divitiarum rationem habendam esse contendit: id etiam Boeckhium nequaquam neglexisse ex iis, quae supra attuli, satis clare elucet. Locum autem Livii (IV, 45) quem affert: „Indicibus dena millia gravis aeris, quae tum divitiae habebantur, ex aerario numerata" non magni momenti esse arbitror. Livius enim, qui quod ad nummorum pretium attinet, temporum antiquorum rationem parum compertam habuisse, iis ipsis, quae de censu Serviano tradit, arguitur, hoc loco nihil

dicere voluisse videtur, nisi decem millia aeris tunc temporis satis amplam fuisse pecuniam et quantam servis fidelibus ob virtutem solvi par esset; et recte quidem. Decem millia aeris enim, quamquam ex Boeckhii ratione jam tertia classis tanti censebatur, si numerato solvebantur, quae tunc erat nummorum penuria, divitiae jure haberi poterant. Maxima enim census pars ex agris constabat et jumentis armentisque, ita ut perpaucos tunc Romae fuisse, qui decem millia aeris nummis numeratis possiderent, credibile sit. Locus autem, qui apud Varronem legitur, num jure pro testimonio locupleti haberi possit, equidem valde dubito. Primum enim Varro non id agit, ut de aere equestri vel equo publico aliquid tradat, sed in forma grammatica explicanda exempli gratia rem profert; ejusmodi autem exempla ad regulam grammaticam, non ad fidem historicam fingi solent. Deinde vocabulum „assarius" nusquam nisi hoc loco legitur, neque Charisii auctoritas ea est[67]), ut, num assarius idem fuerit quod as, non jure ambigi posse videatur. Denique nullo modo Varro se de Servii aetate loqui significat, ipsius autem tempore equum non mille assium, sed mille denariorum fuisse constat. Quae quum ita sint, ex hoc loco solo, ad decimam partem Serviani census summas redigendas esse, colligi posse nego, et in Boeckhii ratione nobis acquiescendum esse arbitror, secundum quam aes equestre duorum millium, aes hordearium quadringentorum assium erat.

67) Becker p. 253 Anmerk. 514.

Quae si vera ratio est, ubi equiti et arma comparanda et servum equumque non in bello solum, sed etiam in pace alendos, perdito autem equo vel usu confecto novum emendum fuisse, militiam denique ipsam equitum, qui ad subitos tumultus, quales tunc esse solebant, saepissime excitarentur, pedestri fuisse molestiorem, consideraveris: neque aes equestre neque aes hordearium nimium fuisse, et equum publicum haud dubie merito inter onera numerari aeque ac pedestrem militiam apparebit[68]. Quod onus quamquam et jure suffragii in duodeviginti centuriis ferendi et spe vel senatoriae dignitatis, vel magistratuum curulium capiendorum compensabatur, tamen erant haud dubie, qui, majores in republica honores non quaerentes, dignitate equestri carere, quam onera ei juncta suscipere mallent. Quae quum ita sint, senatum inter cetera virtutis praemia Aebutio decrevisse, ne invitus militaret, neve censor ei publicum equum adsignaret[69]), mirandum non est.

Simili ratione altera quaestio dijudicanda esse videtur. Ambigitur enim, utrum equites emeritis stipendiis aes equestre aerario restituerint vel iis, qui sibi succederent, numeraverint, an cuique inter equites lecto denuo aes assignatum sit[70]). Redditum esse aes equestre qui censuerunt, id tantum

68) Liv. I, 43; XXXIX, 19. cfr. Zumpt 68. 88.
69) Liv. XXXIX, 19.
70) cfr. Zumpt p. 68. et 73. Huschke p. 368. Becker p. 254, Anmerk. 515.

egisse videntur, ut miram aeris magnitudinem aliquo modo explicarent. Ad veram autem summam, ut feci, redacto hoc aere, ejusmodi explicandi ratione, quae neque testimoniis veterum scriptorum ullis nitatur, et commodum adjumentumque, aere equestri assignato equiti paratum, tantum non tollat, jam non opus est. Ac ne quis dicat e formula saepius repetita, „equum publicum reddere," colligi debere, aes equestre redditum esse. Primum enim „aes reddere" nunquam dicitur; deinde sicut equum publicum habere nihil est, nisi equitem esse, in equitum centuriis censeri, ita equum reddere prorsus idem valere videtur, atque equitem esse desinere, ex equitum centuriis cedere. Prorsus alia autem res erat, ubi ignominiae causa censor equiti equum adimebat[71]). Quum enim in locum equitis, qui ante stipendia absoluta honore equi publici indignus judicatus esset, alium substituere eique aes equestre adsignare censorem necesse esset: equitem ignominia notatum, cujus impensae causa erat, eam ipsum tolerare consentaneum erat. Itaque non solum ex equitum centuriis ejiciebatur et aes hordearium accipere desiit, sed etiam cogebatur, pecuniam ad equum emendum e publico datam aut totam aut partem certe, stipendiis factis adaptatam, equo vendito aerario restituere[72]). Quam sententiam censorum formulae:

---

71) Huschke p. 368, Anmerk. 28. Niebuhr I, 486; Marq. p. 66.

72) Festi locum: „impolitias censores dicebantur, quum equiti aes abnegabant, ob equum male curatum"

„vende equum" inesse, recte judicavisse Niebuhrius videtur.

Equitum duodeviginti centuriis ita institutis Servius Tullius in comitiis duodeviginti suffragia dedit, ut jam non exercitus tantum, sed etiam populi pars esset equitatus. Suffragia autem ante ceteras centurias ferebant; ac primo quidem loco vocabantur sex suffragia[73]). Inter equitum centurias autem ipsas, praeterquam quod sex suffragia a ceteris, quemadmodum supra exposui, distincta erant, nullum nec dignitatis nec armaturae intercedebat discrimen. Atque quae Huschkius[74]) de equitum classibus, de equitibus ferentariis, de census armorumque discrimine commentus est, ea et veterum scriptorum testimoniis repugnare, et nullo probabili argumento niti, magna autem ex parte conjecturae gratia, qua Ciceronis locum, qui de republica II, 20 legitur, mutaverit, ficta esse videri, verissime Marquardtus judicat[75]).

Restat denique, ut quaeramus, quamdiu in duodeviginti centuriis equites manserint. Quae quaestio, a multis varie tractata, egregie a Madwigio[76]) dissoluta esse videtur. Res autem ita fere sese ha-

ad aes hordearium referendum esse censeo. Abnego enim, quod dare nolo, non quod datum reposco.

73) Liv. I, 43; Dionys. IV, 18. VII, 59. X, 17; cfr. Becker p. 206; Marquardt Forts. dess. p. 3: Peter Epochen Anhang I.

74) Cfr. p. 21. p. 360. 369.

75) Equites rom. p. 3. p. 9. not. 42.

76) opusc. I. p. 80.

bet. Quum equites diutius quam pedites militavisse h. e. ultra annum quadragesimum sextum aetatis, intra quod spatium postea decem stipendia exigi poterant, nullo modo verisimile sit: id tantum quaeritur, qui legitima stipendia equo publico confecissent, retinuerintne equum publicum et jus suffragii in duodeviginti centuriis ferendi, an equo reddito in centurias seniorum primae classis transmigraverint. Rei naturae autem consentaneum erat, ut in equitum centuriis esse desinerent. Frustra enim equum aluissent et inutiliter aes hordearium accepissent, qui stipendia jam non facerent; eratque potius ad alium transferendum et aes equestre et hordearium. Excepti tamen hac lege erant senatores, quos in equitum centuriis suffragia tulisse Cicero testatur de republica IV, 2, ubi verba haec sunt: „Quam commode ordines descripti, aetates, classes, equitatus, in quo suffragia sunt etiam senatus.“ Comprobatur autem res Livii nonnullis locis velut XXIX, 37, ubi Livius Salinator et C. Claudius Nero censores, et XXXIX, 44, ubi L. Scipio Asiaticus, vir praetorius et consularis, equum publicum habuisse referuntur. Quod autem Marquardtus attulit argumentum, e nomine centuriae petitum, quo fieri omnino non potuisse, ut seniores e sex suffragiis in primae classis centurias transcriberentur, demonstraret, id jam supra refutavisse mihi videor. Et idem quum dicat p. 11: „Si vero tantus honor equi publici fuit, ut ne majore quidem senatorii ordinis dignitate tolleretur, eundem si multo magis a ceteris retentum conjicio,

non procul videor a vero aberrasse": monendum est, non id quaeri, quid ceteri illi voluerint, sed quid per leges iis licuerit, et quum senatores honoris causa equum publicum retinuisse credibile sit, inde eodem honore, qui senatores non facti essent, ornatos fuisse, nulla ratione consequi. Neque vero magis verum vidisse eos arbitror, qui senatores non omnes sed partem tantum equum publicum habuisse contenderunt, Peterum dico et Zumptium; quorum alter p. 257, paucis exceptis, qui equum publicum aliquamdiu retinuerint, senatores in primae classis centuriis suffragia tulisse, contendit; alter p. 87, quamquam plerumque equites, qui in senatum venerint, equum retinuisse concedit, tamen eos tantum hoc jure usos esse contendit, quibus satis roboris fuerit ad militiam obeundam; nam „quamdiu, inquit, equum habebant, stipendia iis facienda erant, quocumque senatus mittebat; neque tamen militabant nisi aut exercitum ducentes aut legati aut militum tribuni." Atqui non difficile quidem est, exempla conquirere militantium consularium aliorumve, qui erant senatores, quin omnes, qui majores magistratus peterent, militiae obeundae paratos esse oportebat: tamen longe plurimi senatores non militabant; neque militiae causa equum publicum his datum esse apparet, nam legatis tribunisque e publico satis large provisum fuisse Zumptius ipse concedit; sed honoris causa omnibus, qui consilii publici essent participes, confectis stipendiis equum retinere et praecipuo loco suffragia ferre

concessum esse videtur; id quod verbis Ciceronis dilucide comprobatur. Nullo modo enim Cicero, in equitum centuriis senatus quoque suffragia esse, dicere poterat, si non omnibus senatoribus, quia senatores erant, sed paucis tantum vel plerisque, quia stipendia sese facturos esse promiserunt, jus suffragii in equitum centuriis ferendi datum fuisset.

III. A Servii Tullii usque ad Gracchorum aetatem de equitum centuriis quid mutatum sit.

Servii Tullii instituta, a Tarquinio Superbo aut sublata aut pro nihilo habita, ne pulso quidem rege omnia instaurata, sed patriciorum potentia aut statim immutata aut sensim abolita esse, haud obscuris indiciis colligi posse, Niebuhrius[77]) suo jure contendisse videtur. Verum quatenus de equitum centuriis aut Tarquinio regnante aut postea mutatum aliquid sit, incertum est. Tyrannum pari crudelitate in senatores equitesque grassatum esse, Zonaras testis est (VII, 10); centuriarum tamen discriptionem tolli rei militaris ratio vetuit; quamquam ad comitia nunquam populus vocatus esse traditur. Pulso autem Tarquinio, deminutum senatus numerum primoribus equestris gradus lectis ad trecentorum summam expletum esse, Livius refert[78]). In quibus quamquam, ut plebeji quidam essent, fieri potuisse non nego; nam plebeji senatores, antequam hono-

77) I, p. 541. 579. 581.

78) Liv. II, 1. cfr. Becker II, 2. p. 388.

rum plebs particeps facta est, commemorantur[79]), tamen maximam partem e patriciis equitibus lectos esse, qui senatum complerent, existimo, quibus admixti sunt fortasse plebeji quidam, quo patribus conciliarentur animi plebis, cui mox tantum non rege infensior senatus se praebuit. Quin primis rei publicae liberae temporibus etiam in duodecim centurias, quae initio plebejorum fuerant, non paucos patricios juvenes lectos esse, si conjicio, haud procul videor a vero aberrasse. Primum enim plebem, cui ut Servius maxime faverat, ita Tarquinium infestissimum fuisse constat, laboribus exercitatam atque vexatam, tributis exhaustam, coloniis missis imminutam, ad patriciorum injurias quasi praeparatam, ab his publici agri possessione prohibitam, ne habuisse quidem tot viros, quibus census equester esset, ut centurias duodecim complere possent, a verisimilitudine non abhorret. Lege autem quum nunquam vetitum esse videatur, ne in has centurias patricii legerentur[80]), patricios consules, suis in equites legendis, patriciorum potentiae augendae studiosos fuisse credibile est. Inde maxime factum esse arbitror, ut equites in contentionibus civilibus a patriciorum partibus starent[81]). Nam quod Marquardtus vult (p. 12), equites duodecim centuriarum e primoribus civitatis scriptos, e nobilibus Latinis maxime constitisse, qui plebejis multo superiores sibi

79) Liv. V, 12.
80) Becker, II, 1 p. 246 Anmerk. 501.
81) Liv. II, 43. Dionys. VI, 34.

visi, cum patriciis, senatu centuriisque arcte conjuncti fuissent, eoque factum esse, ut ad senatus partes sese applicarent: id quid sibi velit, non intelligo; Latina enim erat magna ex parte tota plebs, et licet genere opibusque praestantes pauperem plebem et ignobilem contemnerent, tamen et ipsi erant plebeji, ejusdem gentis, ejusdemque juris, honoribus, connubio, agrorum publicorum possessione aeque atque illi prohibiti[82]), denique omnium, quae cetera plebs seditionibus sibi quaerebat jura, eorundem et ipsi expertes. Et quamquam singulos (ut fere fit, ubi duo ordines ita inter se contendunt, ut quae alter sibi retinere studet jura praecipua, eorum alter particeps fieri nitatur) honoris equi publici cupidos, a suis aversos ad superiorem ordinem sese applicuisse, patrum gratiam pro dignitate habuisse, ideoque a patriciis consulibus lectos esse, verisimile est: tamen equi publici neque honor neque commodum tantum erat, quo multos, ut suos proderent, pellectos esse credibile sit. Quin etiam indignius reliqua plebe patrum injurias eos tulisse conjeceris, qui propter opum praestantiam gentisque nobilitatem eo majore cum jure dignitatis aequabilitatem poscere sibi viderentur. Posteris temporibus, ubi aditu ad curules magistratus omnibus civibus patefacto nobilitas orta est, in duodecim centuriis nobilium, qui patricii non erant, filii fuerunt, ita ut duodevigenti equitum centuriae nobilem juventutem continerent et seminarium essent senatus.

---

82) Walter, Röm. Rechtsgesch. p. 42.

Verum haec ad posteriora tempora pertinent; ad quae priusquam progrediamur, rei militaris magna mutatio commemoranda est, quae in annum trecentesimum quinquagesimum secundum urbis incidit[83]). Quo anno clade ad Vejos accepta, quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adierunt equisque suis se stipendia facturos esse promiserunt. Summo gaudio id a senatu acceptum est. Equitibus gratiae actae, aeris certus numerus assignatus est. Tum primum suis equis merere equites coeperunt. Ita equestris militiae splendidioris omnes, qui censum haberent, participes facti sunt; atque duplex ex eo tempore erat equitum genus, alterum eorum, qui equum publicum haberent, aes hordearum acciperent, suffragia in duodeviginti centuriis ferrent, alterum eorum, qui equis privatis mererent et stipendium acciperent; quod primo duplex ejus stipendii fuisse videtur, quod pediti dabatur, mox triplex factum est[84]). Equites equo publico a veteribus scriptoribus modo equites Romani, modo equites illustres, modo ordo equester (quamquam re vera hoc nomen postea demum ortum est) appellantur[85]). Multo majorem autem fuisse numerum eorum, qui equis privatis stipendia facerent, e nonnullis Livii locis perspicitur; dignitate eos multo equitibus Romanis fuisse inferiores eo apparet, quod

83) Liv. V, 7.

84) Liv. V, 12.

85) Liv. XXII, 14. XXV, 37. XXXIX, 31. — XXX, 18. — IX, 38. XXI, 51. XXIV, 18.

neque in comitiis locum praecipuum tenebant, neque annulum aureum gerebant[86]. Attigi haec omnia brevissime, ne quae a Marquardto p.12 et Zumptio p. 78 et Beckero p. 265, uberius disputata sunt, repeterem.

Jam temporum ordine ad eam mutationem totius rei publicae formae ducimur, qua centuriarum descriptio ad tribuum rationem accommodata est[87]. Quae quando sit facta et a quo et quomodo aeque incertum est, et nunc accuratius non quaeram; qua facta rei publicae formam ad rationem magis popularem[88], imminuta divitum potentia, transformatam esse inter omnes constat. Ad equites autem quod attinet haec fere novata sunt: E Servii Tullii legibus quum equitum centuriae ad suffragia ferenda primae vocarentur, quare praerogativae appellabantur, hoc jure sublato, ut una centuria praerogativa, quae ceteris praeiret, sorte legeretur, institutum est[89]. Quod quanti momenti fuerit, inde apparet, quod nunquam fere praerogativae auctoritatem ceterae centuriae non sequebantur. Ad praerogativae autem sortitionem utrum omnes centuriae admissae

86) Liv. XXI, 59. IX, 38. XXX, 18. XXXIX, 31. XXIII, 12.

87) Cfr. Marquardt Fortsetz. v. Beckers römischen Alterth. II, 3. p. 9.

88) Liv. I, 43. Dionys. IV, 21 *οὗτος ὁ κόσμος τοῦ πολιτεύματος ἐν τοῖς καθ᾽ἡμᾶς κεκίνηται χρόνοις καὶ μεταβέβληται εἰς τὸ δημοτικώτερον.*

89) Cfr. Peter Epochen p. 193 ff.

sint, ambigitur, neque diserta hujus rei testimonia exstant; rei tamen natura considerata, Marquardti sententia[90]), et equitum centurias, ne quod jus lége demptum esset, casu nanciscerentur, et inferiorum classium centurias, ne summa praerogativae auctoritas ad infimos perveniret, ab hac sortitione exclusas fuisse, ceteris probabilior esse nobis quidem videtur. Praerogativam sequebatur prima classis cum equitum centuriis et ita quidem, ut una omnes suffragia ferrent, renunciarentur tamen primo loco, ut assolebat, sex suffragiorum tum duodecim centuriarum equitum, denique ceterarum primae classis centuriarum suffragia. Equites simul cum prima classe suffragia tulisse, partim e rei ratione colligi potest; nam praerogativam quandam retinuissent, si una excepta centuria omnibus anteivissent, partim eo confirmatur, quod omnino non singulae centuriae, sed totae classes ad suffragium vocabantur [91]), equitum autem centuriae compluribus locis primae classi aperte adnumerantur. In renunciatione dignitatis ratio habebatur.

Sex suffragia post primam classem vocata

---

90) Cfr. l. l. p. 18. p. 27. Anmerk. 73.

91) Cic. Phil. II, 33: „Ecce Dolabellae comitiorum dies; sortitio praerogativae; quiescit; renuntiatur: tacet; prima classis vocatur; renuntiatur; deinde ut assolet suffragia; tum secunda classis.“

Liv. XLIII, 16: „Quum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multaeque aliae primae classis“ etc.

esse Niebuhrius e loco Ciceronis modo laudato collegit, quocum loco alterum Livii (XLIII, 16) conjunxit[92]), ex quo, sex suffragia a ceteris equitum centuriis discreta fuisse, apparere contendit. Ad priorem locum autem quod attinet, primum monendum est, sex suffragia nunquam omisso numero simpliciter suffragia appellari, deinde, Niebuhrii opinionem arctissime cum tota ejus de classium descriptione sententia haud dubie falsa cohaerere, apparet. Quum enim in sex suffragiis nulla census ratione habita omnes patricios fuisse crederet, a ceteris equitum centuriis illa omni modo disjungere studuit. Quae quum ita sint, rectissime verbum „renunciatur“ post verba „prima classis vocatur“ delendum esse, Zumptium et Madwigium[93]) vidisse arbitror. Livium autem loco laudato eam ob causam sex suffragia non diserte commemoravisse, Peterus (Epochen p. 60) demonstravit, quod ab iis censorem absolutum esse per se pateret[94]).

Restat difficillima de universo centuriarum numero, qui tunc constitutus sit, quaestio; quam paucis absolvere, quum rei natura, qua decet cum diligentia tractare, hujus commentationis ratio me vetet, in universum Marquardti sententiam, e qua

---

92) Niebuhr. Röm. Gesch. III p. 398.

93) Z. Ueber die Abstimmung d. röm. Volks in d. Centuriatcomitien p. 16 n. 2. M. opusc. I p. 169.

94) Cfr. Becker II, 1 p. 249.

centuriarum numerus ad trecentarum sexaginta octo summam auctus est, mihi probatam esse, dicere satis habebo. Aucto autem in hunc modum centuriarum numero et dempto ceteris centuriis praeeundi in comitiis jure, minutam esse equitum in comitiis potestatem, nemo non videt.

Equorum publicorum quum certus numerus definitus esset, fieri non potuit, quin multi censum equestrem haberent, quibus equi publici non essent adsignati. Qui quum, praeterquam quod equis privatis merebant, nulla juris ac status praestantia in modum ordinis inter se conjuncti essent, conjunxit tamen eos divitiarum negotiorumque aequalitas. Quum enim mos esset Romanis, ut vectigalia et ultrotributa locarent, prolatis imperii finibus auctisque in re publica administranda impensis vectigalia et ultrotributa eum in modum aucta sunt, ut ii tantum, qui divitiis pollerent, ad ea redimenda accedere possent; atque senatores et magistratus quum ab omni quaestu legibus prohibiti essent[95]), in omnibus ejusmodi negotiis ii maxime versarentur necesse erat, qui censum equestrem haberent; qui quo majore cum commodo agere possent, societates inire solebant. Quae redemptorum societates quantas mox vires et auctoritatem quum Romae tum in provinciis nactae sint, omnibus notum est.

Quae autem ratio publicanis cum equitibus equo publico intercesserit, et utri in re publica parti,

95) Liv. XXI, 63. Cic. Verr. II, 3, 57.

optimatium an popularium, utrique sese applicuerint, restat ut quaeramus. Quam quaestionem a Marquardto et Petero[96]), qui ceteris accuratius in hanc rem inquisiverunt, prorsus diverse dijudicatam esse video. Marquardtus enim ita fere disputat: „In provinciis plurimum pollebant magistratus, longe maximam partem homines nobiles, et publicani. Utrique autem quum, suis commodis dediti, provincias pari modo exhaurirent, inter se invidi erant diligenterque observabant, ne alteri nimium sibi arrogantes alterorum commodis officerent. Provincialibus autem quum nullum praesidium esset, et contra publicanos nisi in magistratibus, et contra magistratus nisi in publicanis, inde factum est, ut simultas inter illos oriretur gravissima et modo magistratus in pecuniis exigendis publicanos impedirent, negotiantibus officerent, provincialibus auxilio essent, modo publicani, quotiescunque magistratus repetundarum accusarentur, provinciales testimoniis suis juvarent. In quo nobilium publicanorumque dissidio ab utra parte equites equo publico steterint, ex iis perspici potest, quae Livius XLIII, 16 de censoribus C. Claudio et T. Sempronio, quibus tribunus Rutilius perduellionis diem dixit, memoriae tradidit. Quum enim censorem Claudium condemnarent non solum multae primae classis centuriae, in quibus publicani, imprimis illi propter edictum de vectigalibus redimendis infensi, plurimum vale-

96) M. eqq. Rom. p. 18. P. Epochen p. 253.

bant, sed etiam ex duodecim equitum centuriis octo, principes contra civitatis veste mutata supplices plebem circumirent: inde ex equitibus equo publico eos, qui in duodecim centuriis erant, cum publicanis stetisse, ad quos sine dubio ipsi magnam partem pertinerent, sex suffragia autem senatores nobilesque continuisse, (nam ut cetera patriciorum privilegia sic principem hunc in comitiis locum nobilitas sibi vindicaverat), ideoque a Livio diserte non commemorata esse apparet, quod ab iis absolutum esse censorem per se pateret.“ Atque ita quidem Marquardtus; cui Peterus haec maxime opposuit: Primum in causa censorum nimis ursisse illum publicanorum in eos odium; neque enim hanc solam tot centuriis causam fuisse censorem condemnandi, accessisse alias, (asperam censuram concionemque a tribuno avocatam), accusationis autem ansam dedisse injuriam libertino factam. Deinde alteri censorum etiam nobilium ipsorum multos infensos fuisse apparere; si enim duodecim equitum centuriae magnam partem ad publicanos pertinuissent, nobilibus ab initio in iis nullam spem ponendam, neque mirum futurum fuisse, quod censorem condemnavissent. Tum Marquardtum secum ipsum pugnare. Pagina 16 et 17 et 21 enim, sena tores eorumque filios duodeviginti equitum centurias complevisse equitesque equo publico eosdem fere fuisse atque nobiles, eum contendisse: pagina 22 autem senatores nobilesque omnes in sex suffragia compellere. Deinde pagina 24 anno centesimo trigesimo tertio

conjunctos etiamtum fuisse equites et senatores legi, et pagina 26 in equitum centuriis paucos fuisse, qui a senatoriis partibus non starent: pagina 22 contra equites duodecim centuriarum publicanorum socios, nobilitatis adversarios, quin magnam partem ipsos publicanos appellari. Ceterum quum servata lege, ne quis nisi patricius in sex suffragia legeretur, nullum inde aut populo aut rei publicae detrimentum oriri potuisse appareat, morem antiquum sublatum ac sex suffragia. initio patriciorum propria, postea nobilitatis facta esse, nulla nos causa cogi, ut credamus. Denique inter publicanos nobilitatemque discidium post leges judiciarias C. Gracchi perlatas demum ortum esse, testari et Appianum (b. c. I, 22), et Varronem (apud Nonium cap. 6 bicipitem) et Plinium (H. N. XXXIII, 8) et Livium (epit. 60) et Florum (III, 17, 3)[97]. Ac re vera antequam judicia equitibus tradita essent, nullum aut ipsis fuisse ad impugnandam nobilitatem telum, aut provincialibus ad injurias magistratuum vindicandas in iis praesidium satis validum. Testimonia enim equitum parvi fuisse momenti apud judices senatores, magistratibus, et ipsis nobilibus, haud dubie faventes.

Cui Peteri argumentationi, cujus summa est, ante leges Gracchanas non solum equites equo publico, sed etiam publicanos ab optimatium partibus stetisse, quid opponi possit, quod alicujus sit

97) Peter Epochen. p. 148.

momenti, non video. Ad populi autem, ut hoc unum addam, de censoribus judicium quod attinet, publicanorum odium non unam Claudii condemnandi causam fuisse, et eo apparet, quod alterum censorem non aeque atque illum infensa sibi comitia habuisse manifestum est, et Livius ipse testatur, complures, quibus censores populi invidiam in se converterint, afferens causas; e quibus equites asperam censuram, publicanos edictum, ne qui proximis censoribus vectigalia et ultrotributa conduxissent, ad hastam accederent, plebem injuriam libertino factam et concionem a tribuno avocatam exasperavisse, si conjicio, non procul videor a vero aberasse. Quod quum omnino e judiciis, quippe in quibus, licet plurimum partium studio, multum tamen reorum et moribus et dignitati, nonnihil etiam justitiae tribui soleat, de factionum in re publica conditione certi aliquid colligere difficile sit: nullo modo id fieri debere apparet, ubi tot diversas invidiae concitandae causas convenisse constat. Et haec quidem hactenus. Paucis autem ut omnia complectar, haec fere paullo ante leges Gracchanas equitum conditio fuisse videtur. Duo erant omnino equitum vel potius eorum, ad quos aliquo modo hoc nomen pertinebat, genera, alterum eorum, qui equum publicum haberent et in duodeviginti centuriis essent, alterum eorum, qui censum equestrem haberent, in centuriis illis autem suffragia non ferrent[98]. Priore autem in genere

98) Marq. p. 23. not. 2. Zumpt. p. 82. 84.

distinguenda sunt sex suffragia et ceterae duodecim centuriae. In illis enim non erant nisi senatores juvenesque patricii, hae continebant senatores juvenesque nobiles plebejos; quamquam etiam in eas patricios legere censoribus licuit. Utrique autem cum senatus optimatiumque partibus arctissime conjuncti erant, ita ut duodeviginti equitum centuriae seminarium senatus essent[99]). Qui autem censum equestrem haberent, equum publicum non haberent, juvenes equis privatis merebant, emeritis autem stipendiis publicani maximam partem fiebant. Propter censum in primae classis centuriis omnes erant atque divitiis auctoritateque in iis plurimum valebant. In universum autem nobilitati favebant, non quia sicut equites equo publico ipsi ad eam pertinebant, sed partim sui commodi causa, ne vectigalia redimentibus senatus censoresve, in provinciis negotiantibus magistratus officerent, partim opum praestantia elati et, ut solet fere ditissimus quisque, a novarum rerum studio alieni. Inter se tamen negotiorum communione et aequis utilitatis rationibus arctissime erant conjuncti, numero, opibus, auctoritate pariter pollentes, neque magis divitiarum quam potentiae cupidi, et qui haud dubium esset, quin facile ab optimatium partibus disjungi possent, modo dignitatem locumque praecipuum in re publica nanciscerentur, quo illis resistere sine suo detrimento valerent.

---

99) Cfr. Liv. XLII, 61.

IV. De legibus Semproniis, quatenus ad equites pertinent.

Nobilitatis publicanorumque discidium, cujus semina jacta fuisse ex iis, quae modo exposui, satis apparet, C. Gracchi lege judiciaria perfectum esse, inter omnes constat. Verum priusquam de hac lege disseram, de plebiscito nonnulla dicenda sunt, quod non multis annis antea popularium h. e. Gracchanarum partium opera factum est; cujus memoriam Cicero solus nobis servavit de republica IV, 2, ubi verba haec sunt: „Quam commode ordines descripti, aetates, classes, equitatus, in quo suffragia sunt etiam senatus; nimis multis jam stulte hanc utilitatem tolli cupientibus, qui novam largitionem quaerunt aliquo plebiscito reddendorum equorum.“ Egregia est de hoc loco Madwigii commentatio (opuscula I. p. 72), qui, falsa interpretatione eorum, qui suffragia sex equitum suffragia, verba „etiam senatus“ commate interposito ab iis, quae antecedunt, disjungenda esse censuerunt, refutata, Ciceroniani loci hanc unice veram interpretationem proposuit. P. Africani minoris aetate et antea senatores in equitum centuriis suffragia tulisse, tunc autem fuisse, qui, neglecta utili hac senatorum equitumque conjunctione et novam largitionem quaerentes, plebiscitum fieri cuperent, ut equi a senatoribus redderentur. Rem autem, quam Cicero hoc loco a nonnullis tentatam dicat, paullo post factam esse, ejusque muta-

tionis instantis sensum et reprehensionem a Cicerone Africano tributam esse. De singulari autem senatorum jure, suffragiorum in equitum centuriis ferendorum quum supra satis dictum sit, restat, ut qualis fuerit et utilitas, quam sublatum iri, et largitio, quam quaeri Scipio queritur, paullo uberius exponatur. Utilitas autem haud dubie in eo posita erat, quod senatores, quam diu in equitum centuriis suffragii ferendi jus habebant, et auctoritate et aetate plurimum in iis valebant secumque trahebant juniorum suffragia; sublato autem hoc jure fieri non potuit, quin et ipsorum per primae classis centurias dispersorum in comitiis centuriatis vis minueretur, et equitum centuriae facilius ad partes adversariorum traducerentur. Non quo in universum senatus equitumque concordiam hoc plebiscito sublatam esse arbitrer, nam equestris et senatorii ordinis discidium, quod postea ortum est, non tam ad equites equo publico quam ad publicanos pertinuisse mox apparebit; neque quo permagnam senatui cladem, jure in equitum centuriis suffragii ferendi dempto, illatam esse credam, nam multo plus jam antea auctoritate et gratia quam paucis illis suffragiis valuerant; sed tamen et utilitas aliqua erat in quibusdam quamvis paucis centuriis haud dubie regnandi, et honoris aliquid positum esse videbatur in praecipuo loco, quem usque ad hoc tempus senatores in maximo comitiatu obtinuissent. Ita autem de hac re statuens, multum me a Marquardto discedere, probe scio, qui, plebiscito illo non tam parti populari quam se-

natui nobilibusque commodum vel quaesitum vel partum certe esse, censere videtur; quippe, orto e provincialibus discordiis inter publicanos equitesque et nobilitatem discidio, commodius fuisse senatoribus, per tribus suas dispartitos multis locis suffragia ferre, quam in iis, in quibus jam nihil valuissent, centuriis[100]). Verum primum quidem illo tempore omnino inter equites equo publico et senatores nullum discidium fuisse, jam supra demonstravi. Deinde ex ipsius Marquardti sententia (p. 22.) sex suffragia non publicanorum, sed nobilitatis erant[101]); ex iis igitur cedendi nulla senatoribus causa in publicanorum abalienatione posita esse potuit. Tum ut nihil jam in equitum centuriis senatores valerent, quodnam commodum comparari potuit in primae classis centurias transcriptis, in quibus publicanos regnavisse Marquardtus (p. 21.) ipse fatetur? An qui conjuncti in equitum centuriis nihil possent, dispartiti inter publicanos fore ut aliquo modo plus valerent, ulla spes esse potuit? Denique si optimatibus commodius fuisset, senatores per tribus dispartitos suffragia ferre, Cicero certe non eorum, qui hujus commodi cupidi essent, stultitiam reprehendisset.

Ad alteram autem quaestionem quod attinet, qualis in illo plebiscito fuerit largitio, primum quaerendum est, utrum in loco Ciceroniano verba „reddendorum equorum“ cum nomine „plebiscitum“ (id

---

100) Eqq. Rom. p. 24.

101) Cfr. Peter Epochen p. 256.

quod Zumptius p. 87 not. 1 censet) an cum nomine „largitionem“ (quod Madwigio placuit) conjungenda sit. Et ad plebiscitum quominus referantur, grammatica certe ratio non prohibet, ut eo referamus, verborum ordo suadet. Madwigium autem, ut cum nomine largitio conjungeret, maxime commovisse videtur, quod in equis reddendis commodum ipsis reddentibus positum fuisse arbitrabatur, cujus ipsos senatores, majore commodo senatus in equitatu suffragiorum neglecto, cupidos fuisse existimavit, in quo haud dubie erravit. Oneri enim equum publicum fuisse collegit quum e loco Liviano supra laudato, quo Aebutio Bacchanalium indici a senatu decretum esse refertur, ne censor ei equum publicum assignaret, tum e loco Suetonii, quo Augustus reddendi equi gratiam fecisse iis narratur, qui majores annorum quinque et triginta retinere eum nollent[102]). E loco Liviano autem, quum ibidem id quoque Aebutio datum esse referatur, ne invitus militaret, nihil colligi posse videtur, nisi commodius fuisse, militiae omnino immunem esse, quam equo publico merere. Ad Suetonii autem locum quod attinet, recte, si quid video, id inesse in eo Zumptius (p. 89) statuit, permisisse Augustum, ut vel ante stipendia emerita equum redderent ac militare desinerent, qui quinque et triginta annis majores essent. Atque in universum quidem ut omnem militiam, sic equum publicum oneri fuisse

102) Liv. XXXIX, 19. Sueton. Octav. 38.

non nego; senatoribus autem tantum honori esse potuit aut commodo; nam aut non jam stipendia faciebant, tum aes hordearium ad equum alendum suffecit; aut tribuni militum vel legati militabant vel exercitus ducebant, tum adjumentum militiae equus publicus erat[103]). Reddentibus ipsis igitur plebiscito illo commodum paratum non esse apparet. Neque magis de aere equestri reddito pecuniaeque inde in aerarium redactae largitione cogitari debet. Alio modo Zumptius (p. 87) rem explicavit; id enim eo plebiscito populares egisse contendit, ut, equis publicis, qui senatoribus dempti essent, ad alios translatis, socios inter eos sibi pararent, qui censum equestrem haberent, equo publico non uterentur. Verum quum equitum lectio penes censores esset, valde exigua spes popularibus esse potuit, fore ut, exclusis ex equitum centuriis senatoribus, multi in eas legerentur, qui ipsis faverent. Accedit, quod equi publici assignatio commodum non ita magnum iis erat, qui, si equis privatis merebant, quotannis tria millia assium pro stipendio acciperent[104]). Largitio igitur in equis publicis assignandis iis, quibus adsignabantur, non inerat. Verum omnino, cur quibus largitio, quam plebiscito illo ortam esse, Cicero significat, commodo fuerit, quaeramus, non video, quum, num cuiquam commodo fuerit, jure dubitari posse videatur.

---

103) De militiae equestris ratione paullatim mutata cfr. Marq. p. 61. Zumpt p. 98.

104) Polyb. VI, 39.

Largitio enim nonne nihil esse potest nisi pecuniae publicae inutilis effusio? Nonne rectissime largitionem quaerere ii dicuntur, qui rogationem ferunt, qua aerario onus, commodum nemini paratur. Haud exiguum autem onus aerario reddendorum equorum plebiscito impositum esse, nemo negabit, qui, senatoribus ex equitum centuriis exclusis, tot nova aera equestria assignanda fuisse, quot senatores tunc essent, consideraverit. Atque hanc esse largitionem arbitror, quam Cicero Scipionem reprehendentem facit. Commodum autem, quod populares sibi quaerebant, non in equis publicis ad suos transferendis, sed in equitum senatusque suffragiis disjungendis positum erat; neque hoc commodum quidem ita magnum fuisse, ex iis, quae supra dixi, apparet. Quin fieri potuit, ut inter optimates ipsos essent, qui parvi aestimantes, utilitatem conjunctorum equitatus senatusque suffragiorum, neque dubitantes, quin vel exclusis senatoribus equitum centuriae nobilitatis causam secuturae essent, sperantesque fortasse, fore ut suis ipsorum filiis equi publici honor impertiretur, legis suasores fierent. Neque enim injuria Madwigius[105]) tale quid inesse in verbis Ciceronis „nimis multis jam stulte hanc utilitatem cupientibus tolli,“ contendisse videtur. Neque equidem dubito, quin si illius plebisciti tanta vis fuisset, quantam fuisse existimant, qui eo haud minus quam Gracchi lege judiciaria partium distra-

105) Cfr. l. l. p. 82.

ctionem perfectam esse censent[106]), et Cicero non stultos eos, qui legem suaderent, sed improbos, turbulentos, seditiosos vocavisset, et rem tanti momenti plures scriptores memoriae prodidissent.

Perlata autem rogatione juniores tantum in equitum centuriis fuisse apparet, atque egregie confirmatur loco, qui legitur in Q. Ciceronis libello de petitione consulatus (cap. 8), ubi de equitum centuriis „facilius, inquit, illa adulescentulorum aetas ad amicitiam adjungitur.“ Senator factus apud proximos censores equum reddidisse videtur[107]). Quod autem Suetonius narrat, senio insignes in equitum centuriis Augusti aetate fuisse, id eo factum esse videtur, quod multos per annos, civilibus seditionibus turbulentos, equitum census actus non erat[108]).

Venio nunc ad legem judicariam C. Gracchi, anno sexcentesimo trigesimo primo a. u. c. latam, qua judiciis ordini equestri traditis publicani ab optimatium partibus aversi sunt. Qua lege, quo accuratius, quid mutatum sit, perspiciatur, non ab re esse videtur, penes quos ex antiquissimis temporibus Romae juris administratio fuerit, breviter exponere. Duo autem quum causarum sint genera, alterum privatarum, alterum publicarum: judicia privata antiquissimis temporibus penes pontifices

106) Marquardt p. 22.
107) Madwig p. 85. Zumpt. p. 88.
108) Becker II, 1 p. 257. not 22.

erant[109]), a Servio Tullio decemviris stlitibus judicandis tradita sunt[110]), quos e senatu sumptos esse verisimile est. His postea adjuncti centumviri comitiis tributis creati, qui de censu civis Romani, ubi ageretur, judicarent[111]). Decemviri autem ex eodem tempore non nisi de capite ac statu civis jus dicebant. Ceterae causae omnes a judicibus privatis, vel recuperatoribus, vel arbitris, vel judicibus (angustiore notione) dijudicabantur, et recuperatores quidem et arbitros[112]), apud quos eae causae, quae liberiorem e bona fide dijudicationem requirerent, agi solebant, ex omnibus civibus, judices non nisi e senatoribus sumere licebat. — Causarum publicarum jurisdictio antiquitus regis erat, adhibere tamen solebat consilium senatorum[113]). Provocationis quoque ad populum quaedam haud obscura indicia sub regibus reperiuntur. Pulsis autem regibus ad consules pervenit jurisdictio; sed mox provocationis jus ita amplificatum est, ut magistratuum potestas, valde arctis finibus inclusa, postremo in multis exiguis dicendis subsisteret neque in his quidem provocatione exempta esset[114]), de causis publicis omnibus, quae gravioris essent momenti,

109) Puchta Instit. I. p. 141.
110) id. p. 170.
111) id. II, p. 23. imprimis p. 29.
112) id. II, p. 35. 37.
113) Becker II, 1. p. 334 ff. p. 385 ff.
114) Cfr. Geib. Gesch. d. röm. Kriminalproc. p. 22 ff. p. 30 ff.

populus centuriatis comitiis judicaret accusantibus magistratibus [115]). De comitiorum tributorum jurisdictione difficillima est quaestio; in universum tamen rectissime mihi Geibius (p.36 sqq.) statuisse videtur, ea tantum crimina initio certe in eorum cognitionem judiciumque venisse, quibus commissis plebi injuria aliqua vel detrimentum illatum esse videretur, indeque omnem eorum jurisdictionem profectam esse. Aeque difficile est de senatus potestate, quatenus ad juris administrationem pertinebat, certi quid statuere [116]). Accurate tamen re perpensa in iis tantum causis senatui jurisdictio quaedam permissa fuisse videtur, quae ad rei publicae administrationem, cujus summam penes senatum fuisse constat, aliquo modo pertinerent, hoc est ubique, ubi aliquid commissum esse vel commissum iri videretur, quo facto, ne quid respublica detrimenti caperet, cavendum esset. Verumtamen etiam in his causis, si Romae et civium Romanorum res agebatur, non ipse judicabat senatus, sed rei ad se relatae cognitionem magistratibus, plerumque consulibus, mandavit, eos consilio decretisque adjuvit, pro imperio more majorum de sontibus supplicium sumentes auctoritate sua protexit. Extra urbem latius patebat senatus potestas. Neque enim solum ubi socii defecerunt, rebellaverunt, conjuraverunt, sed etiam, privatis criminibus gravioribus commissis, misit quae-

115) Cfr. id. p. 100.
116) id. p. 39 sqq.

stores, qui re cognita aut ipsi in sontes animadverterent, aut ad se rem dijudicandam referrent. Eodemque modo de injuriis provincialibus a magistratibus factis cognitiones judiciaque senatus exercebat [117]). Sicut autem senatus causas, quae ad ejus curam pertinebant, et cognoscendas semper et dijudicandas plerumque quaestoribus, sive consules erant sive alii magistratus, tradebat: ita etiam populus, praecipue ubi rei conditio aut diligentiorem perquisitionem aut accuratiorem juris cognitionem requirere videretur, quaestores creare solebat, quibus judicium exercendum mandaret [118]). Addi tamen solebat quaestoribus senatorum consilium. Magna autem rei judiciariae mutatio facta est institutis quaestionibus perpetuis. Primum enim anno sexcentesimo quinto ab urbe condita lege Calpurnia institutum est, ut judicum, de repetundis qui judicarent, certus numerus quotannis a praetore peregrino e senatoribus legeretur [119]), quo ex numero ad singulas causas judicandas, quot opus essent, sorte ducerentur, praeesset quaestioni ipse praetor. Mox plures ejusmodi quaestiones perpetuae institu-

117) id. p. 50 sqq. imprimis p. 58.

118) Singulare quoddam quaestorum genus decemviri perduellionis erant. Creabantur autem, ubi de crimine manifesto et propter atrocitatem conspicuo solito brevius agendum esse videretur. Ceterum ab iis ad populum provocare licuit. Omnino autem perrara sunt atque singularia hujus generis judiciorum exempla. Cfr. Geib p. 59 sqq.

119) Geib p. 183 sqq.

tae sunt. Ceterae autem causae, quibus perpetuae quaestiones non essent institutae, ut antea aut ab ipso senatu vel populo dirimebantur, aut quaestoribus extraordinariis committebantur, ita tamen, ut jam non quaestores ipsi sed consilium illud senatorum, quod addi iis solitum esse supra dixi, sententiam diceret[120]), legeretur autem ab ipsis quaestoribus ex eorum numero, qui eo anno in judicum album inscripti erant[121]).

Hic igitur quum judiciorum esset status ante legem Semproniam, hac lege sancitum est, ut judices ex iis legerentur, qui senatores non essent, censum equestrem haberent, annos — nam hoc additum esse e lege Servilia colligi licet — non minores triginta essent nati. Existit autem hoc loco quaestio, utrum ex judicibus selectis, ante legem Semproniam senatorii post eam legem equestris ordinis hominibus, publicarum tantum causarum (id

120) id. p. 216 sqq. impr. p. 224.

121) De pontificis maximi (id. p. 73 et 228) et patrum familias (id. p. 82 et 228) jurisdictione, utraque valde arctis finibus inclusa, uberius dicere non opus esse censui. Verbo monere satis est, pontificem non nisi de sacerdotum criminibus iis, quae ad sacra cultumque deorum pertinerent, judicavisse, patris familias jurisdictionem in puniendis servis, liberis, uxore substitisse. — Triumvirorum capitalium, ut hoc quoque addam, quibus jurisdictionem satis amplam permissam fuisse, sunt, qui contendant, in disciplina securitateque publica tuenda paullo latius patebat potestas (id. p. 226). Centumvirorum jurisdictio denique ad causas publicas omnino non pertinuit (id. p. 233).

quod Puchta II, p. 38 contendit), an privatarum quoque (id quod Madvigio opusc. II, 243 not. 1 et Marquardto p. 25 not. 22 placuit) judices sumti sint[122]). Atque hoc quidem jure Madwigius et Marquardtus contendisse videntur, nullum esse omnino judiciorum publicorum privatorumque separatorum apud veteres scriptores indicium; quem autem pro certo suae sententiae testimonio afferunt locum Polybii VI, 17., eo nihil, nisi e senatoribus et publicarum et privatarum causarum judices dari, Polybius dicit, unde aeque late judicum selectorum potestatem patuisse, nacessario non consequitur. Contra non majorem demonstrandi vim locus Suetonii habere videtur[123]), quem, ut Augustum demum judicia privata judicibus selectis tradidisse comprobet, Puchta affert. Quo ex loco quum Augusti aetate etiam privata judicia judices selectos exercuisse appareat, ante eum rem aliter se habuisse, non consequitur. Imo si Augustus quartam decuriam, quae de levioribus summis judicaret, instituit, haecque judicia haud dubie privata fuisse putanda sunt: antequam haec decuria addita esset, et illa et de majoribus summis aliaque judicia privata ceterarum decuriarum fuisse

---

122) Cfr. Klenze Lex Servilia proleg. p. XIV, qui „saltem legibus Corneliis latis, inquit, his judicibus etiam privata judicia concessa sunt.“ Argumenta non addidit.

123) Octav. 32: Ad tres judicum decurias quartam addidit ex inferiore censu, quae judicaret de levioribus summis.

oportet, atque ad easdem jam ante Augustum pertinuisse veri simillimum est, quum earum ab illo potestatem auctam esse nemo testetur.

Equitibus solis lege Sempronia judicia tradita esse, et veteres scriptores plerique referunt, et inter recentioris aevi viros doctos fere omnes constat [124]). Ad perferendam autem legem plurimum valuit, quod, quae usque ad illud tempus praecipue in repetundarum quaestionibus obtinuerat judiciorum corruptio, omnium indignationem atque invidiam moverat. Lege perlata judicia ad publicanos pervenirent necesse erat [125]), qui ex eo tempore, ab optimatium partibus distracti, medium inter senatum plebemque locum tenere et tertia populi pars esse coeperunt. Ad eos ordinis equestris nomen pertinebat; quod nomen quamquam Ciceronem demum stabilivisse, Plinius (H. N. XXXIII, 8) auctor est, ordinis tamen origo a lege Sempronia haud dubie est repetenda. Equites equo publico autem, quos cum nobilitate arctissime conjunctos fuisse supra demonstravi, sicut antea optimatium causam secuti sunt.

---

124) Cfr. Marquardt p. 25 not. 22. Walter Röm. Rechtsgesch. p. 243. not. 49. Puchta I, p. 267. Geib. p. 196 sqq. Heeren Gesch. der Revolut. d. Gracchen. Kl. histor. Schr. I. p. 237.

125) Cfr. Marq. p. 25. Peter p. 148. Zumpt p. 91.

V. De equitum inde a Gracchorum aetate usque ad rei publicae liberae finem conditione.

Tempora, quae proxime sequuntur, optimatium populariumque certamina illa continent, quae, causa et origo mali quum in morum corruptela, paucorum opulentia, multitudinis egestate, nobilitatis nimia potentia, provinciarum calamitate posita esset, Gracchorum aetate eruperunt, et quum nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere coepisset[126]), in dies vehementius exarserunt. Mox a concionum altercationibus ad arma et vim, ab urbanis tumultibus ad bella civilia atrocissima ventum est, quae postremo in rei publicae ruinam libertatisque exitium verterent. In quo partium certamine et popularium partium vis et robur in ordine equestri, et civilium contentionum uberrima materia in legibus judiciariis posita erat, quum, qui judicia tenerent, et ipsi impune socios vexare, provincias exhaurire, rempublicam peculari, leges contemnere posse viderentur, et adversariorum injurias propulsare ac vindicare, multarum, exilii, mortis denique metu ipsos terrere valerent. Sed de partium studiis singulatim aut pro magnitudine disserere et a consilio et a mensura hujus opusculi alienum est; quamobrem leges judiciarias enumerare et publicanorum equitumque equo publico, quae per hoc tempus in

126) Cfr. Sallust. Jugurtha 41.

re publica conditio fuerit, breviter significare satis habebo.

Judiciis demptis quantum potentiae adminiculum senatui ereptum esset, mox apparebat. Quamquam enim et C. Gracchus ipse occisus et alii multi partium popularium principes necati sunt[127]), tamen cum latore legis legem ipsam tollere nobilitas non valebat. Atque postquam bello Jugurthino optimates, ab hoste pecuniam accipere non dedignati, quantum in se esset nequitiae, aperuerunt, plebs ulciscendi occasionem, lege Mamilia, ut in eos quaereretur, qui corrumpi se a Jugurtha passi essent, sibi oblatam, odio magis nobilitatis quam cura rei publicae avidissime arripuit judiciisque asperrimis veterum injuriarum poenas repetebat. Quo autem iracundiae saevitiaeqne processum sit, eo maxime apparet, quod (tantam judiciorum acerbitate equites in se invidiam concitaverant) anno sexcentesimo quadragesimo octavo senatus pervicit, ut Q. Servilii Caepionis lex perferretur[128]), qua judiciis senatui redditis, saeviendi in principes civitatis finis vel potius brevis intercapedo facta est[129]); nam paullo post lege Servilii Glauciae equitibus judicia restituta sunt[130]). Qua lege, ne quis, qui aliquomodo ad se-

127) Cfr. Sallust. Jugurtha 31. 40.

128) Tacit. annal. XII, 60. Klenze, lex Servil. XV not. 71.

129) De anno, quo lata sit lex, Klenze disputat. p. XVII.

130) Cic. Brutus. 62. pro Scauro frgm. 2.

natum pertineret, inter judices legeretur, diligentissime cautum est[131]). Numerus judicum quadringentorum quinquaginta definitus est, quos legeret eo quidem anno, quo lex jussa esset, praetor peregrinus, postea, qui praetorum hanc provinciam sortito haberet[132]). E quo numero et per delatorem et per reum centenis lectis, utrique quinquaginta eorum, qui adversarius legisset, rejiciendi jus esset. Lege Servilia perlata et eodem tempore partibus Marianis in republica dominantibus, denuo non tam in singulos noxios animadverti quam in nobilitatis primores saeviri coeptum est, virique summae probitatis injustissimis judiciis damnabantur, velut P. Rutilius Rufus, Mucii Scaevolae, qui Asiam propraetore maxima cum integritate administraverat, legatus, quo damnato nemo tam innocens visus est, ut non timeret judicia[133]). Quo tempore quam fractae fuerint optimatium opes, quantique eorum interfuerit, ut judicia recuperarent, ex iis apparet, quae de lege judiciaria M. Livii Drusi, anno urbis sexcentesimo sexagesimo tertio lata, memoriae traduntur. Neque enim solum ipsa rogatione partibus popularibus multum concessum est, tulit enim Livius, ut ad trecentos senatores, ad quem numerum senatus civilibus discordiis redactus erat, trecenti ex equitibus lecti adderentur hique una judicarent, sed etiam plebem

131) Fragmenta legis Servil. repetundarum conjunxit, restituit, illustravit Klenze Berol. 1825. cfr. p. 27. sqq.

132) Cfr. id. p. 19. p. 28. p. 33. sqq.

133) Cic. pro Scauro frgm. 2.

largitionum, socios et italicos populos civitatis spe sollicitare, ut eorum ope legem perferret, senatus non aspernatus est[134]). Dixi concessum esse hac lege aliquid partibus popularibus. Neque enim Petero assentior, qui (p. 258) equites, quos teste Appiano (b. c. I, 35) ἀριστίνδην in senatum legi lex jussisset, non ordinis equestris primores, sed equites equo publico habendos esse contendit. Nam et in Livii epitome[135]) ordo equester diserte nominatur, et Vellejus plebis commodis aliqua ex parte hac lege consultum esse testatur, neque si de nobilium filiis in senatum legendis actum esset, senatus ipse nobilitasque, aegre societatem cum equitibus ferens, legi adversata esset. Verum utut se haec habent, legem Liviam aut omnino perlatam non esse, aut cum ceteris ejusdem legibus a senatu, decreto facto, contra auspicia esse latas, antiquatam paullo post, satis constat[136]). Judicia equites retinuerunt; invidia autem omnis et legum agrariarum frumentariarumque, qua plebem sollicitatam, et belli socialis, quod senatus opera concitatum esse, populares clamitabant, in nobilitatem versa est. Neque tamen sena-

134) Cfr. Liv. epit. 70. 71.

135) epit. 71: Pertulit ut aequa parte judicia penes senatum et equestrem ordinem essent. Vellej. II, 13, 2: Senatus non intellexit, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, ea veluti inescandae multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis majora permitteret. Cfr. Aurel. Victor d. viris illust. 66.

136) Geib. p. 199.

tus judicia si non tota, at ex parte tamen recuperandi spem deposuit; mox Sullae auctoritate in dies crescente vires reparavit, pervicitque, ut anno sexcentesimo sexagesimo quinto lex Plautia perferretur, e qua tribus singulae ex suo numero quinos denos quotannis judices crearent[137]). Qua lege quamquam et senatoribus et plebejis ad judicia aditus patefactus erat, tamen tantum publicani in comitiis valuisse videntur, ut longe plurimi judices ex iis legerentur. Quod si non ita fuisset, Cicero (in Verr. I, 13) ordinem equestrem annos prope quinquaginta continuos judicavisse dicere non poterat.

Maxima autem rei judiciariae mutatio per Sullam facta est. Simulatque enim dictatura potitus est, trecentis equitibus lectis senatum supplevit eique judicia reddidit, judices omnes, ut a praetore urbano legerentur instituit[138]). Sulla autem, nemo dubitabit, quin maximam partem equites equo publico, qui cum optimatium partibus arctissime essent conjuncti, ac, si quos publicanos, deditissimum quemque causae nobilitatis in senatum legerit. Neque tamen senatus major quam equitum in judicando integritas erat; eadem judicum corruptio, eadem in partium socios lenitas, in adversarios crudelitas, eadem denique avaritia, injustitia, nequitia[139]). Vivo autem Sulla senatoriorum judiciorum invidia occulta atque com-

---

137) Geib. p. 199.

138) Liv. epit. 89. Vellej. II, 32. Tacit. Annal. XI, 22. Cic. pro Cluent. 43. cfr. Geib. p. 211.

139) Cfr. Cic. pro Cluent. 24.

pressa, mortuo illo vehementissime prorupit, neque deerant, qui rempublicam sistere posse negarent, nisi ad equestrem ordinem judicia referrentur [140]). Hic rerum status quum esset, praetor L. Aurelius Cotta, ipse homo nobilis et postea princeps senatus, veritus, ne, si ab adversariis prima rei mentio fieret, prorsus judiciis senatus exturbaretur, simulque ordinum conjunctionem saluberrimam rei publicae fore ratus, anno sexcentesimo octogesimo quarto legem tulit et pertulit, ut tres judicum decuriae instituerentur prima senatoria, altera equestris, tertia tribunorum aerariorum. — Tribunorum aerariorum mentione illata, necesse esse videtur, ut quid de iis statuendum esse putem, paucis exponam. Inquisiverunt autem in hanc rem accuratissime Madwigius (opusc. II. p. 242) et Mommsenius (de tribubus Rom. cap. I, §. 3—9); sed utriusque commentationem accuratius percensere quum longum sit, summatim, quae ab iis effecta esse putem, exponere satis habebo. Sunt autem haec fere: Tribuni aerarii antiquitus dicebantur tribuum curatores sive φύλαρχοι [141]), quibus praeter alia munera id quoque impositum erat, ut pecuniam, pro stipendio militibus solvendam, aut a certo civium numero cogerent, aut ex aerario acciperent, militibusque post dimissum exeunte anno exercitum exauctoratis numerarent, propter quam pecuniam pignora ab iis capere militibus licebat [142]).

140) Cic. Verrin. III, 96.
141) Mommsen p. 20 sqq.
142) Mommsen p. 44 sqq. Madw. p. 260.

Fuerunt autem cujusque tribus antiquitus quini, post mutatam Servianam centuriarum discriptionem deni tribuni aerarii[143]). Et populi Romani quidem magistratus non erant, sed id quod nos dicimus „Kommunalbeamte," a tribulibus suis editi, neque inepte cum symmoriarum Atheniensium praefectis comparantur[144]). Censum iis certum praestitutum fuisse, ne pecunia publica crederetur nisi iis, quorum certa fides esset in re pecuniaria, verisimile est[145]). Ex quo autem, tota rei militaris ratione mutata, legiones anno exacto non dimitti solebant, stipendiumque non exauctoratis sed in castris, aut e praeda coactum, aut Roma ex aerario missum, solvebatur, tota hujus pecuniae cura ad quaestores translata est; idque jam ante Catonis et Varronis aetatem factum esse, horum ipsorum locis nonnullis demonstratur[146]). Quo facto qui tribubus praeerant, jam non tribuni aerarii, sed, quod erant, curatores tribuum appellabantur[147]); neque tamen aut rei aut nominis antiqui memoria evanuit, sed populari praesertim sermone conservabatur[148]). Jam Aurelia lex instituit, ut ex his tribuum curatoribus, qui essent fuissentve, tertia judicum decuria legeretur, vocare-

143) Mommsen p. 56 et p. 83.

144) Cfr. Schoemann antiqq. juris publ. Gr. p. 322 sqq. Mommsen p. 53.

145) Madw. p. 261

146) Mommsen p. 48. Cato apud Gell. VII, 10. Varro l. l. V. 49.

147) Mommsen p. 51.

148) Mommsen p. 51 —57.

turque nomine ex antiquitate repetito tribunorum aerariorum. Quo facto ordo constitutus est tribunorum aerariorum eodem modo, ut equitum ordo tunc demum esse coepit, ubi judicia iis tradita sunt. Quum autem illo tempore in primae classis centuriis permultos fuisse constet, qui censum equestrem haberent, ex iisque, ut qui plurimum auctoritate et opibus valerent, tribuum curatores maximam partem lectos esse verisimile sit: inter judices tertiae decuriae a praetore, quem dignitatis rationem habuisse consentaneum est, vix quemquam lectum esse, nisi qui censum equestrem haberet, jure colligi posse videtur [149]). Unde factum est, ut quum alii tum Cicero (pro Flacco 38. 2) tribunos aerarios equitum nomine complecteretur [150]). — Eadem lege Aurelia institutum est, ut non, id quod antea fieri solebat, in unam sitellam judicum tabellae conjicerentur, sed suam quaeque decuria sitellam haberet [151]); id quod lege Vatinia sublatum, eodem anno lege Fufia restitutum est. Sequitur lex Pompeja anno sexcentesimo nonagesimo nono lata. Qua lege quid

149) Cfr. Zumpt p. 92. not. 1.

150) id. pro Cluent. 47. Schol. Bob. ad or. pro Flacco 2: tribuni aerarii et equites Romani, ejusdem ordinis viri. Cfr. Zumpt. p. 92. not. 1.

151) Cfr. Göttling p. 476. Marquardtus hoc loco (p. 42) in mirum incidit errorem. Quod enim lege Fufia primum institutum esse aït anno 694, ut sua cuique decuriae urna esset, ejus exemplum affert de Catilina repetundarum accusato judicium, quod anno 689 habitum esse pse scribit.

mutatum sit, parum liquet[152]). E verbis Ciceronis (in Pisonem 39) „judices judicabunt ii, quos lex ipsa non quos hominum libido delegerit" id tantum apparet, judicum lectionem non ut antea praetoris arbitrio permissam, sed certa quadam ratione ex hac lege habitam esse; qualis autem fuerit haec ratio, non patet. Quae autem Asconius ad locum laudatum annotavit: „promulgavit Pompejus, ut amplissimo ex censu, ex centuriis aliter atque antea lecti judices aeque tamen ex illis tribus ordinibus res judicarent" ea de censu judicum aliquid mutatum esse, demonstrant, sed quem in modum census auctus sit, non liquet; atque obscuriora etiam sunt verba „e centuriis aliter atque antea," quamquam haud inepte ad certum quendam stipendiorum numerum referenda ea esse cuique faciendorum, priusquam judicem legi liceret, Goettlingius conjecisse videtur. Huic legi Pompejus anno septingentesimo secundo, quum Milonis causa ageretur, duas alias adjecit[153]), alteram de vi specialem, alteram de ambitu latius patentem et ex speciali et generali mixtam, qua instituit, ut trecenti sexaginta judices ex iisdem tribus ordinibus legerentur, ex his, testimoniis dictis, sorte ducerentur octoginta unus, duodetriginta senatores, viginti septem equites, viginti sex tribuni aerarii; quo ex numero, causa perorata, et accusatori et reo quinos cujusque ordinis rejicere liceret, ut senten-

152) Cfr. Goettling p. 482.
153) Cfr. Madwig. I. 1, p. 246. Geib p. 311.

tiam dicerent unus et quinquaginta. Quae omnia, quo difficilius judices corrumperentur, instituta, non solum in Milonis causa, sed postea quoque rata fuisse, apertissimis verbis testatur Dio Cassius XL, 52: καὶ ταῦτα μὲν ἄλλα τέ τινα κατὰ πάντων ὁμοίως τῶν δικαστηρίων ἐτάχθη[154]. Neque tamen diu haec judiciorum forma permansit. Caesar enim anno septingentesimo octavo judicia ad duo genera judicum redegit, tribunos aerarios, quod erat tertium, sustulit, in judicibus legendis veterem sortitionis ac subsortitionis morem restituit, judicum numerum auxit[155]. Interfecto autem Caesare M. Antonius anno septingentesimo undecimo tertiam denuo decuriam instituit, sed non tribunorum aerariorum, sed centurionum nulla census ratione habita[156]. Mox tamen Augustus, lege Antonia abrogata, senatores et equites in tres decurias distribuit, quibus adjecit quartam, ducenariorum, quam appellavit, inferioris census, quae judicaret de levioribus summis[157].

His expositis utras inde a legibus Semproniis usque ad Augusti aetatem equites in re publica partes secuti sint, facile elucebit[158]. Atque in publicanis quidem popularium partium robur positum fuisse, equites equo publico cum nobilitate ste-

154) Cfr. Plut. Pomp. 55. Cato minor 48. Cfr. Geib. Madwig, Göttling. l. l.

155) Sueton Julius 41. Geib p. 209. 312. Madwig p. 249.

156) Cicero Philipp. I, 8. V, 5. XIII, 2.

157) Sueton. Octav. 32. Marquardt p. 50 not. 93.

158) Marq. p 26—50.

tisse, supra jam dixi. Vis tamen ordinis et auctoritas penes publicanos erat judicantes. Hi Marianarum partium erant propugnatores, ex his Sulpicius antisenatum suum effecit, horum Sulla teste Appiano non minus mille sexcentos uno anno sexcentesimo nonagesimo primo interfecit, qui proximo anno trecentis equitibus Romanis lectis senatum supplevit. Eandem causam popularium continuo ordo equester secutus, legibus judiciariis modo maximam potentiam nactus, modo, optimatibus praepollentibus, oppressus atque afflictus est, donec lege Aurelia senatorii equestrisque ordinis reconciliandi periculum factum est, quam conjunctionem neque senatus repudiavit, veritus, ne qua propter judiciorum turpitudinem atque infamiam tunc flagraret invidia, judiciis prorsus exturbaretur, neque ordo equester aspernatus est, partim post Sullani temporis calamitatem vel partem modo judiciorum recuperare magni aestimans [159]), partim eadem atque nobilitas formidine territus, ne civilibus turbis renatis opum divitiarumque jacturam facerent. Accessit lex Roscia anno sexcentesimo octogesimo septimo lata. L. Roscius Otho enim tribunus plebis legem pertulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim ordines proximi adsignarentur [160]). Quae lex ut plebis indignationem maximam movit, ita firmandae ordinum concordiae haud mediocriter pro-

159) Cfr. Sall. Catil. 39.
160) Liv. epit. 99. Cfr. Becker II, 1. p. 280.

fuit. Quae concordia et Quinto Ciceroni spem fecisse videtur, fore ut, quum frater consulatum peteret, equitum centuriae ordinis auctoritatem sequerentur [161]), et revera plurimum profecit, ut Cicero consul fieret, quem retinendae ordinum concordiae omnium studiosissimum fuisse notum est. Neque enim solum legem judiciariam Cottae laturo aperte favit, sed etiam, consul factus, tumultum plebis ob Rosciam legem ortum sedavit, legem agrariam P. Servilii Rulli, equitum commodis consulens, et in senatu et pro concione dissuasit, communi autem metu, Catilinaria conjuratione moto, ad ordinum concordiam stabiliendam diligentissime usus est. Quo quamquam factum est, ut ipse et in consulatu et in re Clodiana equites fidelissimos socios haberet, tamen id obtinere non potuit, ut qui se consule ordinum consensus fuerat, idem postea maneret, adversantibus et iis, qui populi causa suscepta, atque sibi potentiam quaerentes, senatus equitumque concordiam dirimere cuperent, et iis, qui nimio studio ac pertinacia senatus auctoritatem tuerentur. Posteaquam enim communis bellorum civilium formido sublata est, eaedem, quae inde ab initio discordiarum fuerant causae, rursus a nobilitate publicanos disjunxerunt, judicia et provinciae. Erant autem duae maxime res [162]). Primum enim anno sexcentesimo nonagesimo tertio, postquam Clodius, sceleris contra

161) d. petit. cons. 8.
162) Cfr. Cic. ad Att. I, 16. 17. 18. II, 1.

bonam deam accusatus, a corruptis judicibus absolutus est, senatus decrevit, ut de iis, qui ob judicandum pecuniam accepissent, quaereretur. Quae res quum vehementer equites offendisset, accessit altera provincialis. Asiani enim auctore Caesare eodem anno, questi in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, postulaverunt, ut locatio induceretur. Quod, quamquam Cicerone adjutore usi sunt, qui, quamvis impudens postulatio esset, tamen vel jacturam rei publicae faciendam esse ordinis retinendi causa censuit, quum a senatu, Catone imprimis adversante, non impetravissent, prorsus a nobilitate publicani abalienati sunt. Tertio autem post anno Caesar consul, cujus rei auctor fuerat, eam ad finem perduxit[163]). Effecit enim, ut tertia pars mercedum equitibus remitteretur, quo beneficio ita sibi ordinem equestrem obstrinxit, ut postea quoque in bello civili ejus partibus se applicaret. Contra juvenes nobiles, equitum centuriis qui continebantur, Pompejum secuti sunt; haecque erat delicata illa manus trossulorum, quorum facies ferire Caesar milites jussit[164]). Neque tamen dictatura potitus, Caesar eadem lenitate atque indulgentia erga publicanos erat, qua antea eos sibi obligaverat, sed satis severis de vectigalibus exigendis legibus datis avaritiam eorum coercuit. — Post Caesaris necem frustra Cicero

163) Sueton. Jul. 20.
164) Plut. Pomp. 69. Caes. 45.

senatum, equites, populum pristino libertatis amore incendere et contra Antonium conjungere studuit, ruentibus jam omnibus in servitium. Equites equo publico ita agris divisis L. Antonius obstrinxit, ut statuam ei equestrem ponerent, in qua inscriptum erat: „Patrono“[165]). Mox Augusto rerum potito, quum sub unius imperium ac dominationem res publica cecidisset, et judiciariis contentionibus et omnibus partium certaminibus finis factus est.

Jamque ad finem propositum dissertatio adducta est. In qua nonnulla silentio praeterii, ne, quae ab aliis satis explicate et accurate disputata essent, repeterem, nonnulla paucis percurrere coactus sum, quamvis aliorum cura absoluta esse viderem, ne filum disputationis abrumperem, multa breviter attigi, quamvis uberiorem explicationem sibi poscere viderentur, ne fines disputationis constitutos excederem et a proposita narratione aberrarem. Laboris autem impensi me non poenitebit, si, ubi a ceteris, quorum in eadem re cura versata est, dissensi, causas probabiles attulisse, ubi alios secutus sum, haud inepte judicavisse videbor.

165) Cic. Philipp. VI, 5. VII, 6. 8.

Gryphiae, typis Frid. Guil. Kunike, Reg. Acad. Typogr.